VIRO

AMPLISSIMO, ILLUSTRISSIMO AC DOCTISSIMO

GEORG. GUILEL. FRID. HEGEL,

PHILOSOPHIAE DOCTORI ET IN UNIVERSITATE LITTERARIA
BEROLINENSI PROFESSORI,

PRAECEPTORI SUO SAPIENTISSIMO

HAS LITTERARUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO DEDICAT

AUCTOR.

LECTORI HUMANISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO.

Pauca modo sunt, quae praemoneam, iisque opusculum meum benevolentiae *Tuae* commendem. Quum amplissimus ac doctissimus Philosophorum in Universitate litteraria Berolinensi Ordo, ut responderet novo potentissimi ac clementissimi Regis instituto, juvenibus Academicis quaestionem hanc proposuisset philosophicam:

„Ut explicarentur variae notiones, quae nomini „philosophiae idealis sive idealisticae tribuuntur, eae„que ratione philosophica dijudicarentur;"

ego quoque excitatus atque impulsus sum ad eam solvendam et periclitandam meam, quantum in me esset, facultatem. Quod susceptum opus quia industria quadam ac studio absolvissem, praemium constitutum mihi *d. III. M. Aug. A. MDCCCXXV* his verbis decretum est:

„Qui unus hanc philosophiae palmam ambiit, pro „tessera usus verbis Spinozae:" „Sapientia non est mor„„tis, sed vitae meditatio," „primum eam meretur lau„dem, quod ex variis argumenti tractandi rationibus „sumpsit gravissimam, quae ad intima philosophiae „duceret penetralia. Idealisticam enim eam esse phi„losophiam ab initio definivit, cujus principium sit „idea ipsa, non aliqua particuliaris ejus forma, eaque „quam vulgo ferunt subjectiva. Deinde auctoris indu„stria et acumen insigne est in describendis ordinan„disque speciebus, quas induere illa philosophia possit: „in quo si quarundam formarum deliniatio obscurior „videtur et amplior desideratur expositio: brevitatis

„studium in tanta rerum ubertate justam affert excu-
„sationem. Itaque quum etiam historica commentatio-
„nis pars, cui secundum auctor locum tribuit, aeque
„laudabilis inventa sit, quippe quae in recensendis iis,
„quae huc pertinent systematis diligentiae eximiae, in
„discutiendis rationibus, quibus ea idealismo attribu-
„enda esse demonstratur, acuti judicii specimina exhi-
„beat, auctor non quod solus, sed quod sufficienter ad
„propositam quaestionem respondit, praemio ornatus
„est."

In duplicem, quod haud inficier, quaestionis absolutione instituta, incidi difficultatem, — et *rei* et *formae*. Rei quidem difficultatem me, philosophicis non ignotum iisque summopere studentem, confisus sum esse superaturum. Forma vero rursus duplicem involvit componendi rationem: *una* scilicet pertinet ad rem, atque a rei ipsius dependet explicatione et una cum ea absolvitur; *altera* autem spectat *linguam*, eaque sane gravissima est, et tantum difficultatis mihi continere videtur, quantum me devicturum esse fere desperaverim. Nostra enim eaque vera philosophia latine dicendi formam ipsam superasse, dirupisse atque in sempiternum abjecisse videtur, ita ut nonnisi nostra lingua quum progredi formam tum constare et veram esse posse judicemus.

Hanc de idealismo dissertationem meam, quam Academici docendi muneris causa typis librariis edendam curavi, nunc in lucem proditam, eamque nonnullis, quae pertinent ad rem et formam, emendatam conspicis. Vale!

Berolini. M. Februar. A. MDCCCXXVI.

SUMMARIUM.

Continet opusculum, ut constitutum est, Idealismi universi seu philosophiae idealis, nec non philosophiarum, quas historia manifestat, idealisticarum in tribus partibus explicationem ita institutam, ut

PARS PRIMA

brevi adumbratione et descriptione demonstret primum, quid sit *Idea*, quae ejus origo et natura, quaeque ejus explicatio cum in rerum natura, tum in mente ac ratione; deinde etiam, quid sit, quod *ideale* et *reale* nominant, ac denique, quod *idealitatem*; — deinde

PARS SECUNDA

continua quadam serie et magis ad communem captum disserendo explicet *purae scientiae idealis* s. *philosophicae* i. e. divinae ideae se ipsam cognitione pura explanandae s. *Idealismi* cursum, inde a naturali usque ad spiritualem absolutumque statum. Cursus ipse tria praecipue continet momenta s. stationes, quae nominandae sint:

I. *Idealismus objectivus*, in quo idea manifestatur statu naturali, et primum quidem in rebus sibi conscia; tum in verbo, et postremum ab utroque sese replicans ad se ipsam redire molitur;

II. *Idealismus subjectivus*, in quo idea sub visionis notionisque forma humano in animo sive in subjecto exsistit atque inspicitur; et

III. *Idealismus absolutus*, in quo idea suam abstracte et mere vindicatam naturam unum idemque cum concreta vel naturali cognoscit, et utrumque in unum totum comprehendit; — ac denique

PARS TERTIA

omnino et universe manifestet Ideae explicationem *per totam philosophiae historiam*, et ita quidem, ut in hac quoque tria illa, quae modo enumeravimus,

mus, puri idealismi momenta appareant, atque a nobis nominanda sint eorum tem-
... spatia:

I. *Idealism... naturalis*, qui continet sui explicationem per *veterem* s. *Graecam* *philos*... ...sque lumina maxima philosophica. Unde nomen acceperit, suo lo... ...ur; deinde

II. *Idealism... supernaturalis*, qui circumscribitur cursu suo historiae philosophiae ab *Alexandrina* temporis aetate per medium aevum ad *quindecimum* usque saeculum p. Ch. n.; — ac denique

III. *Idealismus rationalis*, qui inde ab illo tempore per tria sequentia sae... et nostram aetatem, eorumque maxime laudata philosophorum systemat... e enucleat et una absolvit universalis idealismi cursum.

PARS PRIMA.

DE IDEA.

Inter omnes philosophiae theoreticae seu speculativae quaestiones haud facile ullam a primis scientiae aetatibus invenias, quae ad nostra usque tempora magis tractata, et de qua diutius distinctiusque sit disputatum, quam de idearum doctrina. Neque vero negari potest, hanc ipsam acuminis philosophici quasi esse lapidem Lydium, et fundamentum omnis verae scientiae seu philosophiae. Quo enim altius philosophus acutiusque eam et perceperit et erudierit, eo praestantiorem et, ut ita dicam, diviniorem eum fore, inter omnes plane constat. Fuerunt igitur prima illa Graecorum ingenia philosophica, quae etiam de ideis quaestionem et in medium tulerunt, et tam mirifice quodammodo exposuerunt, ut ad nostra usque tempora eorum placita aut relata tantum, aut corrupta et quasi abstracta inveniantur. Novissima tandem aetas nostra in hanc quoque rem profundius severiusque penetrans splendidissima exaravit pretia.

Quis autem est philosophorum, qui nesciat inter Graecos illum admirabilem virum, philosophum Pythagoran, primum fuisse, qui sub unius numerorumque specie ideas subintellexerit, simplicissimas sane, sed tamen veras primasque rerum definitiones nec prorsus praetereundas! Has ipsas rerum formas Plato praecipue ideas seu notiones generales nominavit, et ita ad altiorem quidem rerum definiendarum formam ascendit, neque tamen ad eam perspicuitatem, quam iis dedit Aristoteles. Unum enim illud Pythagorae nihil prorsus significat nisi, quod suo ipsius motu aliquod comprehensibile sive materiam in aliquod punctum contrahit, eoque modo aliquam rei constituit conjunctionem, motus autem ipse triplex est: *unio*, *disunitio* seu disjunctio et *comprehensio*, quas si singulas, ut in posterum fieri debet, contempleris, tria explicandi ipsius unius sive ideae momenta concipies. Quo quidem factum est, ut jam Pythagoras unum ad triadis numerorumque omnino speciem sese

explicare obtineret. Hoc unum indefinitum et informatum idque recte, ut videtur, Plato in ideae formam redigere constituit; quippe quod unum nisi quoddam, id est definitione aliqua descriptum, sive quale, percipi non possit; atque hoc ipso modo numeros non longius solum promovit, sed ad specierum etiam universalium extulit dignitatem. Aristoteles autem inter omnes maxime hac de re est meritus; dissolvit enim Platonis ideas easque ita, ut ideae naturam exponendo ejus detegeret momenta sive elementa. Nam satis et acriter contemplatus unius vel ideae naturam secundum triplicem maxime motus formam invenit, unamquamque ideam in se continere quaedam substantiae et actionis momenta. Quum autem omnia ad unum totum vergant, totum ipsum vel, ut ita dicam, id agens actum *entelechiam* (ἐντελέχειαν) vocavit; quae fere eadem, quae idea; neque tamen implicita, sed explicita et ad partes suas, quasi membra, constituta esse videtur.

Haec saepius turbato et depravato statu de ideis doctrina propagata est per medium aevum, easque ipsas longo temporis intervallo multisque detrectationibus scholasticis plane exstirpatas quasi et absorptas nacta est nostra aetas. Cartesii, Spinozae, Leibnitzii, Cantii, Fichtii, Schellingii et Hegelii v. c. ingeniis non reviviscere modo, sed ad altiorem quoque virtutem et potestatem prodire videntur. Prae ceteris autem philosophis *Hegelius* noster de ideis doctrinae fundum, si non plane exhausit et in ejus partes exposuit, ad illud tamen acuminis provexit fastigium, ut haec doctrina aut nullo, aut minimo modo et augeri et corrigi posse videatur.

Sed si adspiciamus provectionem idearum ipsam, hoc explicandum habemus. De partibus, quae ideae sint adnumerandae, jam loquuti sumus, nec tamen satis de earum explicatione et facie. Est autem facies in cursu expositionis universe triplex, cujus primam *ideam puram*, sive *implicitam*, alteram *explicitam*, sive *abstractam* et tertiam denique *replicitam* sive *absolutam* vel *perfectam* liceat nominemus. *Prima* earum continetur unius specie, constans, ut ita dicam, in mente divina, et exsistit ante mundi seu naturae initium, et initium ipsum vel principium est omniumque, quae sint et fiant, nervus quasi et substantia; singula enim omnia in hoc uno, ut arbor in semine, implicita sunt et convoluta; est sane nihil praeter hoc unum. *Alteram* autem *naturam* vocamus, in qua idea, unius finibus egressa, suo cursu et stationibus ipsius notionem seu formam explet, explicitis, quae ei insunt, discriminibus. Neque tamen, expletione et explicatione facta, contenta est suo opere, sed potius ad puram et divinam rerum suamque ipsius naturam contendit; nam, notione seu forma naturali vel reali exacta, nullo unquam modo sua ipsius natura est perfecta. Idea, ut diximus, divinae est naturae, et rerum formis increta quasi, naturata et explicita, hanc suam naturalem faciem, quum expleverit notionem, dissolvere et divinam suam

puramque seu spiritualem naturam restituere omnimodo studet. Haec autem restitutio non nisi *tertia* cursus facie absolvitur, quam ideam absolutam seu replicitam nuncupavimus, atque ea est, quam idea rerum ipsiusque naturae cum actione tum cognitione sibi comparat. Totam hanc tertiam ideae speciem eminentiore quodam sensu *Anthropologiam* appellemus, propterea quod omnes, quae sub hanc formam cadunt, cognitiones actionesque in animo humano, mente et ratione, ut fundamento, sitae sunt, et his omnino procreantur. Explicationis earum et disquisitionis tria potissimum momenta seu gradus distinctius agnosci debent.

Mens enim in *primo* gradu, progressa a rebus naturalibus et pene liberata sui ipsius studet cognoscendi agendique virtuti. Omnes autem actiones exercitationesque minus in se ipsa sive in animo instituit, quam in rebus; quare fieri videmus, ut iis quasi immersa et sui inscia, mirabilem in modum egregiam variamque quum visionum et notionum tum factorum et facinorum efficiat copiam. — *Altero* deinde, quae et quanta exegerit, non modo in unum comprehendit, idque speculatur et dispicit, verum etiam in suam ipsius naturam sensum convertit eamque cognoscere molitur. Itaque mens hoc studio naturam quasi prorsus relinquit et ad se revertitur, quippe quod eadem, quae in rerum natura intuetur, et plura in se ipsa inveniat, e naturali in idealem quandam speciem conversa. Est enim haec omnino illa ideae aetas, qua mens, omnium rerum notionumque et divinarum et humanarum natura explorata earum leges, ordines atque instituta, quantum potest, profert, et proferendo periculum facit. — *Tertio* denique gradu idea, tanta rerum conversione et dispersione mentis studio ac vi facta, non notionum modo molem denuo percutit et examinat, sed hac vere examinanda ad rerum etiam naturam ipsam se convertit. Quae omnia ubi exploraverit ac conspexerit inter res notionesque naturae quoddam vinculum, fieri non potest, quin denique in rebus suam ipsius rationalem naturam, discriminibus modo gradibusque positis, inveniat atque intelligat, notiones mente comprehensas rerum veram esse naturam, omnes autem singulas rerum notiones et ideas unam absolutamque constituere ideam non tam sensuali quam rationali modo.

Hoc tripartito explicationis cursu idea tandem suam ipsius naturam et cognovit et perspexit. Non se solum, sed res ipsas, quae et quantae sint, a fortunae et fati potentia liberavit, rationis necessitati ac potestati vindicavit conjunxitque unius ideae vinculo. Singulae igitur ideae nitantur et moliuntur se ipsas liberare a sua materiali corpore et redire ad divinam naturam, quae idea est una, absoluta et sui conscia. Liberatio autem quamquam multis variisque modis fiat necesse est, omnium tamen liberatorem credamus spiritum esse illum divinum, qui ratione sese manifestat atque explicat non suam modo virtutem et in notionibus potestatem, verum etiam ideas constituit et reducit ad illam

principem, causam aeternam dico, et rerum divinarum et humanarum quasi fontem universalem. —

Haec spiritus vis, aut primum cognitum incognitumque principium movendi universale idem est, quod Graeci νοῦν, Latini *mentem* sive *animum* nec non *spiritum*, nostri Geist, Weltgeist nominant; sin autem Absoluti ideam respicimus, est ideae ipsius *anima*, sive, quam Graeci appellant *ψυχήν*, et nostri *Seele*, *Weltseele*, eaque divina illa omnium rerum semina ac species in se volvens natura. Spiritus autem quum e rerum penetralibus emergat et ab iis in formis suis circumscriptns sit ac definitus, in universa natura materie vel corpore indutus comprehenditur; materies vero ipsa sive natura sicuti ejus naturae elementum vel principium intelligi debet. Complexum autem omnium, qnas natura continet, rerum si opponitur animo sive spiritui, *realem* et uno verbo *Reale*; spiritus vero, quamvis ejus idealis natura universalis, una et tota sit, in rebus autem varius et quasi discretus esse videatur, discrimina dicam *idealia*, vel uno verbo *Ideale*.

Quae sit spiritus vis ac natura, inter omnes satis constat; id autem opinor minus constare, in actionibus suis revera eo illum contendere, ut materiam sibi oppositam in suam potestatem redigat, et commutet in suam ipsius naturam. Quum autem nihil ipse sit nisi vis agendi ac cogitandi vel earum, quae sibi propositae sint, rerum notio, sive ideae potestas ac virtus (*νόημα*, Gedanke, Begriff), naturae ut hoc verbo utar, objectionem sive objectivitatem ipsa cogitandi vi auferre et in cogitationes notionesque, quae sunt ideae purae, commutare nititur. Qua de re fit, ut res materia privatae et in subjectivam naturam translatae, non amplius realem retineant naturam, sed idealem sint nactae. Actio autem haec rerum commutandarum ipsa idealis, et cum re translata unum quasi concretum est, quod rerum ideale appelletur, i. e. notio sive cogitatio; hunc igitur statum, quem res obtinent in subjecto, haud inepte nominant itidem *idealem* sive *Idealitatem*. Quid autem aliud est haec spiritus actio nisi ratio *cognoscendi* sive *sciendi?* Nam omnis ejus nisus studiumque pertinet ad perfectam omnibusque numeris absolutam rerum cognitionem vel *scientiam;* quae autem et quanta sint scientiae discrimina et quasi gradus, quos is ascendat, qui veram sibi cognitionem adipisci conetur, satis experientia clareque docet; quodnam vero momentum idque gravissimum in philosophia obtineant, hoc nobis amplius est demonstrandum.

PARS SECUNDA.

DE IDEALISMO.

Omnium, quae cognosci possunt, rerum et divinarum et humanarum scientia circumscribitur a philosophiae ambitu et ejus vi continetur. Tantum tamen haec abest, ut totam scientiarum summam sibi proposuerit enucleandam, ut cum singulae rerum notiones cognitionesque in animo hominis non philosophi quasi disjecta totius cujusdam membra volvantur, horum inter sese necessitudinem ac sempiternum spiritus vinculum exquirat et demonstret, atque, comprehensa inter singulas rerum cogitationes seu cognitiones rationali quadam et universali scientia, singulas connectat et redigat in quendam unius totius scientiae et perfectae et absolutae ordinem, quem Graeco nomine *systema* appellant. Non est igitur difficile intellectu discrimen hujus scientiae, quam *philosophicam* sive *Philosophiam* nuncupemus et illius communi vitae propriae.

Omnis omnino, ut supra cognovimus, scientia etsi jam idealis sit sive subjectiva, in qua res ipsae ideali modo praesentes sunt, hanc tamen existimo rerum idealitatem praestantiore quodam sensu ac jure philosophicae scientiae attribui licere; quippe quod potissimum hoc altiore sui ipsius scientiae statu rerum translatio e sensuali in rationalem, e reali in idealem modum et quasi earum transsubstantiatio (sit venia verbo!) percipiatur vere et intelligatur. Recte igitur Platonici ac Peripatetici censebant, scientiam veram nusquam esse nisi in animi mentisque motionibus ac rationibus, et veritatis judicium non nisi in his esse, in sensibus esse non posse. Omnis autem philosophandi ratio sive philosophia, quae hanc idealem retur esse veram scientiam, quae oritur ex cogitandis intelligendisque rebus in iisque versatur, *idealis*, vel *idealistica* sive, ut uno verbo utar, *Idealismus* nominanda est. Quum autem unaquaeque philosophia hac nostra definitione non nisi idealis esse possit; facile perspicitur, eas philosophias, quae praecipue et plerumque ideali-

sticae appellantur, aut angustiore aut ampliore sensu sic nominari; neque realisticam philosophiam, quam *Realismum* vocant, plane discernendam esse ab idealismo satis constat. Discriminis autem hujus momentum habet quidem quandam mentis necessitatem, sed ideali rationis actione aufertur ac deletur.

Totius enim rei ratio haec est, ut eodem modo, quo ideale sine reali et contra reale sine ideali, si unum ab altero abstraxeris, constare non possit, sed potius ipsa abstractione absumatur, constantia idealismi ac realismi relativa sit; quod postea facile perspectum fore omnibus autumo. Philosophiae igitur idealisticae plerumque solent nominari illae, quae mentem volunt aut principem aut unum rerum judicem eique soli et ejus effectis in rebes cognoscendis esse credendum, postpositis iis, quae sunt, aut plane neglectis et negatis, quorum plerumque contrarium a realismo obtineri volunt; nam hic rerum materia et constantia; illic mens ejusque substantia posita est, de quo aliisque omnino definitionibus id modo judicare velimus.

Quae sint philosophiae inter sese diversae, his quidem duobus finibus contineri vel suam quasi quamque necessario obtineri provinciam, utramque vero unam et veram dico, philosophiam constituere et necessaria ejus esse quasi membra. Itaque in errore sane maximo versari videntur, qui omnes inter se diversas philosophias existiment esse, nescio, quae et quanta, philosophiae genera, atque in haec eam distribuant, quasi sit inter illa nullum plane confinium; philosophiae autem historia sola satis eorum opinionem refutaret, si perciperent ejus vim ac nexum. Est enim ipsa non hominum, sed hominis philosophia, non philosophorum, sed philosophi. Praestantior igitur, vel unice vera eorum est sententia, qui rentur, inter omnes philosophias, quas enumerat historia, esse necessitudinis vinculum, et quantumvis inter sese differant, omnes non diversa genera, sed gradus, quoad cujuscunque temporis, aetatis hominisque philosophica rerum divinarum humanarumque scientia sese et extulerit et sit elatura. Quibus dictis apparet, veram philosophiam nec solum esse idealismum nec realismum, sed amplecti utrumque.

Idealismus enim et realismus quum sint quasi partes sive fines, quibus scientiae spatium circnmscribatur, iisdem, ut natura ipsa, sese explicant et continentur. Si quis ergo hoc vel illud verum philosophiae principium et unicum esse opinetur, plane fallitur, ac fieri non potest, quin corripiendo uno tantummodo fine hanc unam solam scientiae partem explicet atque excolat. Quibus rebus fiat necesse est, ut omnia ejus placita ad illam alteram modo partem respiciant, neglecta aut omnino negata altera.

Necessariam sane istam viam esse, id, quod neminem fugit, nec plane errorem dici posse. Philosophia autem, quam dico veram, utramque partem ad unum totum connectit ideali modo ac vi tribuitque

ita suum cuique, ut sint, nec non sint; quippe quod discrimina earum sint solum quasi *eventa* ac *visiones*, quas mens quidem, ut exstiterint, comprehendat, dissolvendo autem, quod menti sane miraculum videtur, conservet, et quod verum in iis sit, explicet ac demonstret. Quae igitur et quot sint species Idealismi ejusque partes, hoc loco componere destinavimus; omnes omnino nobis eam rationem indicant, quam intellectus humanus cognoscendis transferendisque naturae formis sibi sumserit, et quo modo sit vera rerum divinarum humanarumque natura notionibus explorata. Exploratio autem vera ea videtur, qua omnes idealismi species unam et continuam seriem sive ordinem ita constituunt, ut ultima sine prioribus esse non possit, easque omnes in se ipsa contineat. Itaque haec postrema simul etiam fit perfecta, absoluta et rebus omnibus non naturali quidem, sed ideali seu spirituali modo completa necesse est. Hoc autem idealismo sive ideali philosophia idea reali seu naturali corpore liberata ac velamine quasi spirituali vel divino induta est, et ad verum aeternumque rerum statum elata. —

Quibus ita expositis idealismi primum puram sive idealem, deinde historicam sive realem speciem explicare reliquum videtur. Totam prioris viam sive notionis explicitae cursum, si animo perpenderimus, apparebit certo tripartita ejus facies, vel ut distinctius referam, apparebunt tria explicationis spatia, in quorum unoquovis quaedam idealismi forma vim ac potestatem obtineat; quarum formarum nominare placeat primam *objectivum* sive *naturalem*, alteram *subjectivum* sive *supernaturalem*, et tertiam *absolutum* vel *rationalem* idealismum.

I. Idealismus objectivus.

Iam antea diximus, quomodo mens, priusquam suam ipsius naturam explicuerit, in rerum species quasi demersa sit atque implicita. Quarum ubi ditioni suae subjecerit materiam, non modo suam, verum etiam rerum ipsarum libertatem, veram aeternamque naturam assequi nititur. Suam autem ipsius libertatem simul ac rerum esse, prae ceteris memoratu digna videtur persuasio; natura enim in mentis actionibus et potestate se ipsam quasi devicit atque in mentem transtulit ita, ut mens et diversa a natura, et eadem et denique ejus effectus esse videatur.

Liberae autem mentis naturam esse *scientiam*, plane in promtu est; quomodo vero naturam seque mens liberet et veritatis aeternae speciem proferat, abs quonam deinde, utrum a natura an se ipsa cognoscenda proficiscatur, minus inter omnes exploratum cognitumque video. Exquiratur sane et definiatur necesse est mentis scientia, unde oriatur et qui et quo loco quasi comparetur. Quod si accuratius exploraverimus,

haec sane tria momenta vel quasi scientiae a mente comparandae modos suique conscientiae formas constituere debemus.

1) Mens enim, quod initium cognitionis est, suam aciem a se avertit inflectitque naturae formis; qua via non modo rerum, sed in iis sui ipsius etiam naturam, vim et potestatem intuetur, comprehendit et comprehendendo cognoscit. Se ipsam igitur haud in se, verum in altero, quod sibi contrarium est, conspicit quasi in speculo; quod quidem oppositum omnes mentis radios quasi aciemque in se flectit et colligit; menti ipsi autem sub forma visi sive visionis, quam Graeci *φαντασίαν* vel etiam *ἰδέαν* nominant, se repraesentat. Attamen, si mens eam non transgreditur, semper opinionibus, quibus vita communis, disceptetur ac vexetur, neque ad scientiam veram sive philosophiam perveniat necesse est. Scientiae igitur initium ita erit, ut, quam mens rerum formam nacta sit et verbo (*λόγῳ*) unam alteramve communiverit, eam in partes dissolvat, quae sint aut *prima* (*ἀρχαί* sive *στοιχεῖα*), aut composita ex his, i. e. rei notionem (*εἶδος*) constituat. Omnes autem hae actiones mens haud secum scit, nec suas comprehendit, sed rebus tota immersa iisque arcte conjuncta, in his sui ipsius naturam et substantiam percipere et libertatem nancisci molitur. Hoc vere cognitionis quasi vestibulum ingressos videmus primos Graecorum philosophos, illos dico, quos vulgo apellant Ionicos seu Physicos; idemque semper semperque ingreditur humana juventus.

2) Cum post tot ac tanta discrimina mens mirabili quadam ingenii acie et sollertia facta rerum dispexerit, naturam formasque diviserit et in prima, quae omnibus adsint, et in singula varia, quae unicuique rei propria sint, omnia haec omnino perspexerit; ad altiorem scientiae gradum adspirare periculum facit. Avertit enim sese a rerum speciebus ad earum actiones, quas primum mentis universum tenentis agitantisque vim esse opinatur, cujus opinionis inter Graecos philosophos maxime ac clarissime Anaxagoras aperuit viam. Mox autem, intellectis comparatisque iis cum suis, suas ipsius esse cognoscit. Relicta rerum et naturae et postea actionum perscrutatione; quippe quod earum visiones et animae quasi animo humano inhaereant ac sint praesentes; mentis in hominis vita, factis institutisque habitum et horum omnium principia exquirere studet et struere fundamenta. Quo factum videmus, ut homo non modo vinculum, quo cum natura conjungitur, perfringat, sed omnium etiam rerum principia et inveniat in se et collocet; quin etiam e natura sese totum in se revocet, seque ipse intelligat esse divinae naturae et omnium, quae sint, rerum divinarum humanarumque compertem et conscium; orationem autem, quod mirum! rationem (*λόγον*) ipsam, omnium bonorum formarumque et inventricem et rectricem ita, ut porro in conformandis moderandisque rebus ratio mentis locum teneat, et quasi principatum; gravissimum mehercule momentum! Ecquis nostrum

nostrum est, qui de hac re Graecorum aliorumque populorum antiquae nostraeve aetatis *Sophistas* immeritos judicet? Verum enimvero recens humanae rationis vis et studium pariat necesse est novae artis et virtutes et vitia!

3) Ad tertiam jam scientiae quasi stationem homo progressus et via ipsa strata est, qua perveniat ad summum vitae bonum atque honestum, quod ratione et oratione esse constituendum facile percipitur; sed qua via finibusque sit circumscribendum, inter omnes sane maxima est orta disceptatio, cujus cardo in eo vertitur, utrum in ipso solo ei remanendum sit, an communis vitae participandum; deinde utrum rerum vitaeque cognitio, an actio et virtus summum bonum; ac denique utrum rationis formae (ἰδέαι vel λόγοι), an mentis species (εἴδη) in rebus cognoscendis et moderandis sint judicii principium. Omnibus sane extremis in unum colligendis ad summum rerum divinarum atque humanarum scientiae fastigium homo hac statione ascendit quidem, et ibi remanet; sed post breve temporis spatium labitur et lapsus in profundum demergit. Neminem credo fore nostrum, quin recordetur illius Socraticae, maxime autem Platonicae et Aristotelicae philosophiae splendidissimi exortus occasusque. Nondum tamen hac purae, ut ita dicam, rationis statione perseverare potest, propterea quod purum illum notionum vel idearum, (quae, ut supra diximus, non modo rerum sunt animae, verum etiam formae), aethereum quasi habitum et percipere non valet, et arrepto eo retentoque per breve tempus mox denuo terrenam quasi ei admiscet materiam. Verumtamen his etiam commixtis naturis formisque pulcherrima sane, vel quasi aeterna et admiratione dignissima reliquit monumenta, quorum quidem et gaudio studioque, et conservatione atque explicatione sequens aetas maxime est occupata.

II. Idealismus subjectivus.

Homo naturam inquirendo ac distribuendo in prima et ex iis composita, deinde se ipsum comprehendendo et e natura in se recipiendo sese ac colligendo ad id scientiae momentum venit, ut intelligat, verum nonnisi in mente vel potius in mentis actione esse posse; quo factum est, ut sint quidem res, quidvis autem veri iis insit, haud per se, sed mentis actione. Mens enim humana sua ipsius natura ac vi tentat non naturae modo, verum etiam vitae vel omnium omnino rerum divinarum atque humanarum statum ac rationem et comprehendere et dialectica quasi arte constituere. Idealitatis igitur momentum jacet in mentis actione sive in sui ipsius scientia, eaque, quae huic subjecta est, agendi cogitandique vi. Cogitata vel mente comprehensa una eademque esse cum rebus ipsis, easque convenire plane in promptu videtur. In oratione

quidem ratio (λόγος) comprehensa est, sed ejus formas ac species (ἰδέαι vel εἴδη), quae sit earum idealis natura et quo modo in puro sint spirituali elemento, notionibus definita, vix vel rarissime cognitas compertasque habemus. Id enim hujus aetatis labor est et studium; factum autem tribus plane diversis gradibus.

1) Quo magis homo e natura inspicienda ac perscrutanda in se ipsum recedit rerumque naturae quasi obliviscitur; eo magis necesse est colligat exquiratque visiones, opiniones et rationes, quas et ipse ex animo proferat et ab aliis sibi tradantur; iisque omnibus non modo se ipsum compleat, verum in aliorum etiam captum et usum definiat et explicet. Quo studio fit, ut mens non actionis solum, sed et acti i. e. cogitationis sive notionis meram naturam et ejus sibi scientiam comparet et rationis in oratione veram percipiat vim et praesentiam. In hoc opere maxime inter Graecos philosophos versari videmus, qui Socratici, nec non Platonici sive Academici et Peripatetici appellantur.

2) Neque vero ad hunc et scientiae et conscientiae statum nisi post multos fatales lapsus casusque perventum est, quibus omnibus autem devictis, victoriae quasi palmam mens sibi meretur. Nam parat sibi non solum notionem puram jamque abstractam, verum etiam veram divinamque sive idealem, continentemque ideale (ut supra nominavimus) et reale in uno conjuncto. Mens igitur se ipsam intuetur in eo, quod est sui effectus, neque amplius mentis tantum actio, sed actionis ipse actus vel actum i. e. notio sive idea pura omniumque et rerum divinarum et humanarum est quum vinculum tum judicium. Laboris autem et stadii hujus et temporis et mentis agentis summum fastigium est demonstrare singularum notionum inter se confinium ac necessitunem, easque redigere in ordinem et in unius totius orbem; cujus demonstrationi summopere studebant Stoici et Epicuraei.

3) Omnes igitur in hac re conatus atque opera non flores quasi rationis, et teneros quidem et caducos esse, ut vulgo fit, judicemus; sed fructus manentes et sempiternos. Ideam enim, ubi inanis sit et rebus absoluta, realem esse sive exsistere non posse, nisi in suo ipsius seu spirituali elemento scienter intelligunt. Est quidem rerum substantia et animo praesens, a communione autem rerum exclusa, nullam fere in natura veritatem ac fidem assequi potest. Eandem rationem contra naturam mens obtinet, qua de causa impeditur, quo minus scientiae finem nanciscatur. Quaestio enim exhibetur, quid sit natura, et qua ratione res inclusae sint notioni, idque potissimum, cum nondum satis intelligatur notionis natura. Itaque in mente ipsa, ut ita dicam, exoritur dissidium et notionum ruptura. Demonstrandum jam est, priusquam scientiae finis detur, qui fieri possit, ut mens in effecto a se seu notione rem etiam inclusam teneat. Quod etsi homo nondum percipere queat, verum tamen naturae suique scientiam concupiscit, et disceptatorum

alii ideam *realem*, alii vero *idealem* modo sive *subjectivam* esse obtinent. Quo dissidio non a recta solum scientiae via aberratur, verum idea etiam ipsa sive notio rationalis corrumpitur; omnis deinde ei fides minuitur, vel denique ipsa tota dissolvitur, et quidquid ei inest ideale, in unicam eamque abstractam divinam mentem dissipatur; quidquid vero reale, in rerum naturam. Una igitur ista scientia maxime a Scepticis et novae Academiae sectatoribus inter Graecos Romanosque divisa est in duas partes, cognitionem quidem divinarum, quae una, et humanarum naturaliumque rerum, quae est altera; hanc qui principium cognitionis suae ponit, *realismi*, qui illam, *idealismi* nominatur consectator, utriusque autem regnum quasi per se constare posse opinio est, quin etiam semper constet necesse esse creditur. Quid quantumve veri haec fides prae se ferat, sequens nos docebit scientiae forma.

III. Idealismus absolutus.

Scientia antecedentis formae primum sibi fundum stravit in puro mentis seu cogitationum elemento vel idea, quae est pura sive abstracta, et rationis intuitus eam quidem vere triplicem comprehendit et cognovit; neque tamen eam ipsam rebus inesse, et quaecunque sint, aut esse possint, ejus vi ac vita esse, nec concipere, nec demonstrare potest. Quo factum est, quod modo vidimus, illud ipsius exitium. In altera enim parte mentem puram, qui Deus, isque unus creditur, conspicimus, expletam quasi multis variisque opinionum imaginibus; in altera vero naturae multitudinem creatam. Utrumque hoc oppositum in unum componere atque ita conjungere, ut unum simul et duo sint, quod nonnisi medio aliquo tertio fieri potest, postero scientiae cursu est exigendum.

1) Quum autem illa mentis disceptatione ideae et purae et concretae plane dissolutae, quin etiam exstinctae sint, scientiam autem rerum divinarum humanarumque ratio etiam atque etiam postulet; nihil unquam omnino nisi studium reparandarum notionum et corrigendarum reliquum videtur. Triplex autem via hujus est studii: *Primum* enim mens animusque se revertit ad priorum aetatum opera ac monumenta et amplectens ea recenti amore et cura comprehendere atque evolvere ex iis studet uniuscujusque et veri et boni pulchrique notiones ac delicias. Qua via potissimum post Alexandri aetatem philosophos progredientes conspicimus. *Deinde* natura rerum sua ipsius non formositate modo et utilitate, verum vi etiam ac potestate divina omnes, qui sanis et incorruptis oculis apertisque sensibus eas intuentur, reducit e mentis solitudine ac vanitate ad ipsam, sese ut reficiant, et recreant ad novum praestantiusque sciendi et cognoscendi opus. *Tertia* denique via ad veram denuo comparandam scientiam mentem ad se ipsam reducit, sed

ita, ut non profundius altiusque modo penetret in suam ipsius naturam sed etiam suarum, quas omnes et neglexit et abjecit notionum vim ac virtutem. Quamquam hae tres viae, quas singulos Graeciae Romaeque philosophos, senescente antiqua philosophia, tenentes scimus, inter se diversae sunt, ad unum tamen spectant, quae est *scientiae* et quidem omnium, quae in coelis terrisque sint cognoscenda. Colligendis vere et coalescendis his inter se diversis variisque notionum elementis necesse videtur deformis quaedam et vitiosa scientiae species; quae, ut est cruda quasi veritatis materia, sub hac aspera facie splendida ac nobilia veri semina recludit, quae saepius negata jure vindicanda sunt maxime doctrinae *Philonicae*, *Cabbalisticae*, *Gnosticae* maxime autem *Neoplatonicae*. Nobilissimum sane ac splendidissimum ducimus, quod pertinet ad veram ideae formam aut nunquam aut raro in disciplinae modum prolatam, vel quasi pingui Minerva partam. Omnia enim studia referuntur ad tertium illud medium, quo in unum coalescant scientiae extremae partes, veraque ideae et idealismi species comparetur. Itaque mens non modo scire molitur, quid ipsa sit, i. e. suam substantiam, sed etiam, quid valeat, i. e. vim suam et formam idealem.

2) In alteram igitur hujus scientiae cursus stationem cadunt primae, quae tentabantur, sciendi formae, variae multumque diversae et inter sese et a prioribus. Neque enim notiones sunt concretae illae et quasi statuariae, quae, quantum in iis subjectivi est et objectivi, vel cogitantis et rei, non tam in has partes distinguuntur, quam in rerum figuris et in orationis vocibus ac serie quasi fixae et figuratae proferuntur, inspiciuntur, dividuntur et componuntur. Nam notiones seu mentis acta et effecta intus quasi leguntur i. e. intelliguntur et comprehenduntur spirituali suo tamquam elemento, ab omni rerum sensibilium materie sejuncta. Ex quibus omnibus sequitur, hunc rerum percipiendarum modum plane contrarium esse illi primi aevi seu philosophorum Graecorum, qui notiones in rebus vocibusque legunt fere omnes ex iisque colliguntur; immo nunc demum ad verum idealismi locum et formam nos videri pervenisse. Idea enim jam disjuncta materie sua idealem speciem nacta est, i. e. idea concreta sive naturata a mente translata est in ideam puram vel animatam nec non spiritualem. Omne porro studium maxime rationis in eo versatur, ut haec inter se singulae constanter ideae conjungantur, ita ut idearum quasi creatur ordo. Quum autem, quod primum est, ideae singulae comparatae sint, et animo praesentes, alterum erit, ut quaeratur et definiatur, quid illud unum, ut ita dicam, ens plane infinitum atque absolutum sit, et monstretur tamquam substantia, quae idea idearum in profundo suo et ambitu omnes singulas ideas circumcludat et contineat. Tertium autem erit idearum systema ipsum, quod quantumque sit, ex uno prodire debet. Verum omnia haec totius scientiae et in historia potissimum medii aevi tentamina redigen-

darum idearum in ordinem imperfecta sunt et fluxa, quia idea nec suam ipsarum naturam his ordinibus complere, nec nancisci possunt praeter essentiam etiam existentiam. Nam, etsi sint spirituales, reclusae tamen in se et abstractae vel in monadum statu ordo, cui inserviunt, non suus ipsarum, sed alterius cujusdam, mentis quidem; non ipsae sibi eum dederunt, sed ab altero accepere externoque subactore. Hic ille est tyrannus ac domitor, qui sua causa omnium singulorum vim frangit, atque, ut ipse solus vere sit sibique sufficiat, in servitutem redigit; omnibus autem debilitatis et suae ditioni subactis ad altiorem scientiae ac sapientiae gradum complanat viam. Hunc secundum gradum concluserunt in historia ii philosophi ac theologi, qui maxime Scholasticorum nomen trahunt, neque minus et ii, qui ante Criticam philosophiam enumerantur.

3) Quum sint singulae ideae plane infirmatae a mentis potentia, fieri non potest, quin indomita mens contra se ipsam sua tela vertat. Primum enim incitata adspectis singularum infirmitate ac pernicie, se ipsa quaerit, quo usque tandem suum teneat atque extendat imperium, quibus limitibus definiatur, quo jure exigatur et quid juris illae subactae teneant, quo denique loco sint ortae? —

Hac tota autem contemplatione efficitur, ut mens ipsa, omnibus antea editis ordinibus institutisque deperditis, sibi ferat quasdam leges et suae ipsius potestatis et illarum causa. In animo enim secundum has leges notiones, quid sint et quomodo ortae, jam minus exquiruntur. Sed neminem credo fugere posse, hac rerum conversione omnem idearum libertatem ac vim non finitam modo esse, verum etiam plane exstinctam easque ipsas in umbrarum quasi speciem mutatas. Quo fiat necesse est, ut porro mens ita se efferat, ut quae et unde sint ideae, omnino sese nescire affirmet, et scire de iis nihil nisi quos ipsa iis attribuat fines, sui ipsius scilicet legibus adaequatos. Hoc igitur modo, idearum vi ac libertate fracta et ad minimum reducta, ipsius autem in infinitum et absolutum extenditur. Quod quidem a mente ipsa mox cognitum est.

Sed ab altera etiam parte, quod tertium est momentum, ad veram scientiam progreditur ratio humana. Neque enim in rebus solum naturalibus, verum in civilibus etiam ideae et naturatae seu naturales, et spirituales ad eam libertatis formam ascendere contendunt, quae earum naturae sit consentanea et apta. Potissimum autem illa idearum singularum et inter se naturali modo conjunctarum divina animatio et quasi animositas, cujus nobis Cantius dedit exemplum clarissimum, e sua solitudine mentem suscitat, cogitque agnoscere earum ipsarum vim ac potestatem. Quibus factis primum idearum naturalium ordo sese opponere nititur mentis pertinaciae, qua cum unam ideam absolutam, revera exhaustam ac vacuam; tum suarum actionum definitiones retinere conatur; neque haud multo post illud tertium, cui inveniendo omnis ab homine opera navata est, idque *idea pura* seu spiritualis, scientiae divi-

nae et humanae vel inter ideam unam absolutamque et idearum singularum et medium et vinculum post tam longum studium spiritui succurrat. Deus ipse nunc sese manifestat in idea ac notione, et quod idea est, non in mente modo, vel capite haeret et visio ut antea est, sed in animo ortam una et veram rerum substanstiam vel quasi animam esse constat. Mens autem ipsa comprehendit sese non tam ideae servientem, quam ejus vim divinam vel animum, quo idea ipsa, ratione assumta, et vere constat, et nascitur exsistentiam.

Hoc sane mirifico modo etsi scientiae cursus non sit absolutus, huic tamen cursui scopus est positus, eaque ipsa ad finem directa. Verum enimvero idealismus quamquam summam ipsius formam sibi comparavit hac ultima eaque una omnes priores sibi conjunxit, nec tamen ita, ut omnes extinxerit, sed ostenderit solummodo earum inconstantiam constitueritque earum veram naturam. Neque minus idealismus cum realismo ita coaluit, ut alter sine altero haud constare posse visus sit; atque idea, ut est rei anima, tamen materia quoque sibi adjungenda res ipsa fiat vel sibi addat *realitatem*, et hac ratione, quae vel ipsa utriusque est impetus ac necessitudo, idealismus ipse et realismus sit factus, et invicem; uterque vero ad absoluti atque infiniti ideae naturam elatus. Si tandem in totius idealismi, hoc curso absoluto, naturae explicationem paullulum respiciamus, hoc potissimum apparebit.

Idealismus primae formae sive objectivus unus est cum realismo, sed in forma rerum naturae, i. e. uterque nondum disjunctus seu manifestatus. Idea naturata cum secundum suam naturam sub mentis forma se ipsam cognoscere et rei materiam vincere studeat, hoc ipso studio suam et rerum ideam percipit, sibique scientiam comparat ita, ut tota haec scientia non vera notio, sed notitia modo sit rerum omnium, et speculum quasi naturae et optima et fidissima rerum et divinarum et humanarum descriptio.

Ideae sive species rerum mox in rebus, mox in vocibus et visionibus humanis percipiuntur. Lusus, ut ita dicam, vel illusio totum inter idealismum ac realismum certamen videtur, quod ubi fit severum, ad novam eamque alteram idealismi formam, quae est Idealismus subjectivus, progreditur. Studium ejus eo pertinet, ut notitiae rerum et visiones sive ideae, quae adhuc extra et mentem et res et, nescio quo loco, neque ultra nec citra, neque in aëre, neque in animo vere versari videntur, constituantur; quibus factis neglectisque et objectis naturae quasi elementis, in animo ipsae ideae disjunctae a rebus et cum iis res etiam divinae sese manifestant, quos colligendi, ad veram scientiae formam et ordinem redigendi conatus jam nunc incipiunt; sed in tertia demum idealismi forma, quam idealismum absolutum seu rationalem nominavimus, post tam multas exercitationes et praeparationes quasi ad eum finem, quem modo demonstravimus, progressus est factus.

PARS TERTIA.

DE PHILOSOPHIA IDEALI.

Quum in antecedente opusculi parte idealismnm hac ratione exposuerimus, qua is cursum explicationis instituerit universalem per temporum hominumque aetates, seu, quod idem est, qua mens divina et universalis per hominum populorumque animos idealitatis viam iniverit, et quantum ejus ad hunc usque diem absolverit: nunc nobis disserendum videtur et manifestandum, quomodo idealismus tria illa, quae ipse in puro quasi ac spirituali elemento sibi constituit momenta, per historiam singulasque ejus formas, philosophorum vi atque ingenio ei impressas, explicuerit; quam explicationem ita demonstrandam judicemus, ut relatis singulorum, qui maxime celebrantur, philosophorum placitis, historica tamquam idealismi seu realis vel naturalis facies, ut vere est, componatur et inspiciatur.

Totam autem philosophiae historiam accuratius consideranti historia ipsa tres quasdam ipsius ideales facies seu formas manifestet necesse est; quarum cuique si sit nomen quoddam imponendum, appellatas eas velim, primam *Naturalismum*, secundem *Supernaturalismum* et tertiam *Rationalismum.* Ex eadem igitur causa, qua supra idealismus nomina trahebat a notione pura, nunc, commutatis tantummodo nominibus, idem, per philosophiae historiam cursu facto, ab ea ipsa nominetur:

I. *Idealismus naturalis;*
II. *Idealismus supernaturalis, et*
III. *Idealismus rationalis.*

I. De Idealismo naturali.

Totus idealismi naturalis ambitus cum circumscribatur a Graeca et vetere quidem philosophia, nunc nobis hujus aetatis idealismus summatim et universe ita est enucleandus, ut scientiae philosophicae formae ejusque explicationis per historiam gradus, quantum nobis inest facultatis, clare distincteque sese et manifestant et manifestatione percipiantur.

Multam variamque Graecos a peregrinis et maxime orientalibus populis nactos esse materiem, vel, ut ita dicam, scientiae artesque semina, satis superque inter omnes constat; verumtamen etiam in suo ipsorum medio, religione dico et animo, retinuerunt peculiaria neque omnino despernenda, quorum, ut nonnulla modo commemorem, satis nota sint mythorum Orphicorum sacra. His duobus quasi elementis prodiit, quod neminem fugere puto, Graecorum i. e. naturalis potissimum philosophica scientia, quae ut jam supra monuimus, non pertinet ad res singulas et sensibiles, sed universales atque intelligibiles, cujusmodi notiones sunt et ideae. Mens humana autem cum plane et mirifice rebus naturalibus sive sensibilibus involuta esset, iisque quasi reclusa et retenta, factum est, ut in his rerum universalium quoque sive idearum scientiam inveniret et conscientiam sibi compararet. Sicuti autem nunc in communis vitae consuetudine et rerum intuitu is vere ingeniosus vel divinitus afflatus ac satis exercitus in cogitandis intelligendisque rebus videri debet, qui, singulis et fortuitis inspectis, universalia statim perspicere et ut aurum a scoriis, sic quidquid veri et aeterni inest, a falsis fluxisque discernere, eruere quasi et in usum vertere potest: ita mehercule illa quoque Graecorum ingenia philosophica mirum sane in modum in rerum humanarum et divinarum natura lapidatim quasi ad aeternae scientiae templum materiem conspexerunt, collegerunt et construere in columnas tholumque tentaverunt.

Visionibus quidem, rerum opinionibus et vocibus, quas Graeci *φαντασίας*, *δόξας* et *λόγους* nominant, satis superque refertus erat tum tempore animus ac sensus; nullis vero rationibus et ideis. Haec et in natura et una in seipsis quasi creandae et pariundae relictae erant summi acuminis viris, qui et physici et philosophi a Graecis appellantur. Totius autem scientiae inter Graecos cursus iterum duae partes sunt, una scientia rerum seu realis, altera idearum sive idealis nec non spiritualis, quarum illam sibi praecipue physici, hanc philosophi vindicaverunt. Quas tamen partes Graeci haud ita tractavere, quasi omnino essent diversae et contrariae, sed ita, ut utramque semper unum totum judicarent, ab iis hac prae altera occupata, et altera simul cum et quasi in altera tractata esse videretur. Quo factum est, ut quamvis unum iis et

commune

commune esset principium, mox tamen distincta suum utraque cursum juxta faceret, et altera in alteram influeret. Omnes autem et physici et philosophi in eo sane convenere, unum et commune rerum divinarum humanarumque quaerendum esse principium, quo omnia prodirent redirentque, et essent et fierent. Hoc investigantes quum rerum intuitu ac respectu ducerentur, necesse erat, ut summum principium in sensibili rerum natura invenirent, ex eaque sumerent.

Hujusmodi illa erant *Jonicorum* physicorum eorumque, qui maxime eos consectabantur, principia, quae singulatim enumerandi locus nobis deest. Neque vero nescire debemus, haec principia initio continuisse plane sensibilia, sicut Thaletis aquam, Anaximenis aërem et Anaximandri ipsum ἄπειρον sive infinitum, quod nihil nisi omnismodi vapores esse conjiciam, etc.; deinde autem ad idealia sive universalia asscendisse, ut Pherecydis Ζεῦς sive αἰθήρ et χρόνος, Heracliti πῦρ etc.; omnesque eo modo naturam realem, ut ita dicam, in naturam idealem transtulisse, i. e. ad idealismi primam formam transiisse, quae quidem jam fuit mentis forma seu notio (εἶδος), verumtamen solummodo in natura cognita et conscita seu potius quaedam naturae species et elementum; itaque hujusmodi principium nondum vere dici potest ideale, propterea quod notio sive idea haud omnino a realitate est sejuncta et libera, non pura et spiritualis.

Sed ad hanc etiam virtutem consequendam eam maxime adjuverunt *Pythagoraei* atque *Eleatici*, a quibus, quippe quum primum se ipsi *philosophos*, i. e. sapientiae sectatores appellarent, hac re philosophia ipsa vere initium ceperit. Nam sicuti physici quaesiverant substantiam, quae faudamenti instar inesset omnibus rebus, vel ipsa commutata in rerum species, appellata a Graecis ὄν sive ὄντως ὄν i. e. prima sive una substantia; ita primi, quos modo diximus, philosophi haud substantiam formis finibusque circumscribere et disponere conati sunt. Illi igitur spectarunt *qualitatem*, hi *quantitatem*. Quantitates autem quum maxime sint referendae ad formam (quippe quae iterum aut ad unius totius aut multitudinis speciem, deinceps ad figuram pertineat), factum esse videmus, ut prae ceteris his rerum definitionibus studerent, viri illi ingeniosissimi atque acutissimi. Quam ob causam necesse erat, ut in definiendis rebus substantiam seu materiem initio certe nullomodo plane negligerent, aut negarent; verumtamen, ut fieri debet, nullam ejus, aut parvam rationem haberent; quippe quum, quod maximi momenti est, puras modo sempiternasque et primas quasi formas e natura conarentur enucleare, sensibilesque res nullam unquam veritatem praebere docerent.

Omnes igitur horum quaestiones ad id convenere, quid sit τὸ ἕν, ἡ μορφή, sive ἡ ἰδέα et denique τὸ εἶδος? quibus substantiae detractis, nihil rerum nec constare, nec cognosci posse ab iisdem perquam bene demon-

stratum est. Quis ergo est, qui miretur, ubi audiverit, Pythagoraeos numeros et geometricas figuras prima rerum esse et necessaria vel ejus constantiam et stabilitatem; aut Eleaticos obtinuisse, „τὸ ὂν τὸ ἓν καὶ πᾶν," i. e. substantiam sive ens nonnisi *unum et totum* esse non posse? Quis deinceps non statim percipiat, quid voluerint Eleatici docentes, praeter ens unum et totum nihil neque esse, neque esse posse, quando intellexerit, nisi substantia alio quovis, uno et toto, difiniatur ac comprehendatur, omnia prorsus discrimina ac differentias in ea esse sublata et in puram ipsius indiscretae formam dissoluta? Eodem modo nihil clarius esse videtur, quam Pythagoraeorum sententia, numeros esse res ipsas, ubi meminerimus, numeros simul concretas rerum formas, i. e. rerum esse principia (ἀρχαί) eos voluisse, neque unquam vacuas et ab omni materia abstractas, quae sane iis monstra videri debebant. Quo etiam factum est, ut Plato illorum numeros sub idearum forma perciperet, assecutus Pythagoraeos, qui numerum divinae naturae esse praecipiebànt, et Eleaticos, qui omnes res nonnisi uno ac toto definire, idque vere ens unum ac totum rerum substantiam esse contendebant, exclusa omni multitudine. Quomodo denique etiam fieri potuisset, ut e prima indefinita unitate, ἡ πρώτη μονάς dicta, omnia definita evolverentur numerorum ordine, et revolverentur in primam indefinitam unitatem, nisi numerus ipse substantialis seu realis ab his philosophis perceptus esset? Hac ultima nimirum vi ac potestate praeditam obscurus ille sed vere philosophus *Heraclitus* comprehendit substantiam, obtinuitque, eandem neque esse, neque non esse, sed fieri; quo factum est, ut eam sub fluminis (ῥοῆς) specie demonstraret; et, quod mirum, hac ipsa specie et reale, quod nominavimus, et ideale in unum quidem, ex quo utrumque exstitit, denuo coalescere videmus; verum hoc unum haud sub *chaus* specie, sed substantiae explicatae et dissolutae, cujus autem discrimina non constantia, sed fluxa Heraclito videbantur; unumquodque igitur comprobavit non esse, seu per se constare, sed fieri, sive unum in alterum transire et fluere. Quodsi ita distincte et universe obtineatur, ideae ipsius constantia negatur necesse est, et in visiones, ut factum est, commutetur.

Si quis a nobis, hoc philosophiae cursu peracto, scire cuperet idealismi hucusque explicati momenta, haec habemus, quae diceremus. Pythagoras ejusque discipuli studuerunt, quidquid rerum universitas contineat, sub *unius* redigere definitionem et omnes substantiae modos in unum quoddam totum comprehendere. Tum id tale esse, quale vere unum, sive unum concretum, et sese ipsum movens; ex ejus autem evolutione ac definitione non numeros modo, sed figuras etiam geometricas potissimum exsistere, actionem autem ipsam secundum triadis maxime speciem ac naturam fieri necesse esse demonstraverunt. Pura haec placita non mentis solum, sed etiam naturae esse haud quisquam negaverit; quonam autem modo sub naturae specie et fiant et sint diffi-

cile sane sit sensibus manibusque comprehensu. Quo factum videmus, ut Pythagoraei mathesi uterentur, ut abstractis numeris exercendis non solum ejus, quid sit verus numerus et vera figura, in hominis animo speciem excitarent, sed etiam et numerorum et figurarum vim et potestatem recrearent. Quod momentum permultos et veteris et nostri temporis philosophos fugere videtur.

Ad veram igitur ideae et idealismi naturam iidem ascenderunt; definitiones autem ipsas judicemus esse primitivas et primas quasi inter universales ceteras. Nihilo tamen minus id mirum videtur, qua acutissima sensus mentisque acie has primitias e natura collegerint et constituerint notionibus. Quis est, qui nesciat, quantum valuerit hujus doctrinae auctor apud aequales et posteros, et quantum ex eo fluxerit in reliquam Graecam, maxime autem Platonicam philosophiam?

Haud multo minorem, quam Italici philosophi, et ille a Socrate optime celebratus Obscurus, et Eleatici a suo posteroque tempore accepere laudem. Uterque autem, et Eleatici et Heraclitus, praeceptis suis unam modo quisque Pythagoricae doctrinae partem percepisse et constituisse videtur. Nam Eleaticorum ens unum et totum jam Pythagorae primae unitati inclusum est. Hic autem ratione duce hoc primum unum et indefinitum ad definita numeris figurisque promovit; illi vero mentis rationisque auctoritate nixi praedicavere, unum quodque ens non nisi unum et totum verum et constans esse posse, et praeter hoc nihil, vere scilicet, esse. Quibus dictis omnino obtinere voluerunt, unumquodque, quod non sit unum et totum, secundum quidem Pythagorae de primo uno definitionem, i. e. cui non unius species insita, et innata quasi sit, esse non posse; propterea quod haec unitas cuicunque rei praebent exsistentiam et constantiam, i. e. naturam. Quis autem non intelligat, quantum in hac definitione idealismus sit progressus? Est enim sane ab Eleaticorum doctrina id vere magnum momentum cognitam ac probatum, *ideas esse*, solummodo scilicet ab unius vel notionis plane abstractae et simplicissimae specie limitatas; quibus omnibus argumentis nihil nisi Pythagoraeorum eos probavisse placita plane in promptu est. Verumtamen imperfectam, et hanc ob causam non veram esse Eleaticam doctrinam Heraclitus bene demonstravit, quum diceret, ens, seu substantiam, si nihil praeter unum et totum sit, neque exsistere, neque constare, vel ne unum quidem et totum, quod sit unum et totum, esse posse; ideas ipsas hac de causa promovendas esse et recludendas, sive in fluminis speciem vertendas i. e. omnia in fluxu esse, vel neque esse, nec non esse, sed, ne ideis quidem exceptis, fieri. Qua re probata Heraclitus alteram modo, quam Eleatici neglexerant, Pythagoricae doctrinae partem assumsit explicuitque; quo facto autem simul ideae ipsius constantiam minus respexit, et prorsus debilitavit. —

Inter omnes nostri temporis philosophos constat, Eleaticorum doctrinam esse idealisticam; quod verum quidem est, sed qualis idealismi, forma aut gradus sit, aut nemo prorsus disseruit, aut varie nec non perverse disputant. Absurdum etiam sane fuisset, si Eleatici, aut *Parmenides*, illustris ille philosophus, aut *Zeno* retinuissent, res, quum sint multae, nullo unquam modo iis esse exsistentiam; quin voluerunt potius, iis esse nullam prorsus constantiam et substantiam nisi unum et totum, sive ideam. Nostra autem, opinor, explicatione plane in promtu esse debet, non Eleaticorum, sed et Pythagoraeorum et Heracliti naturalis scientiae formam vere idealem esse. Omnia enim omnino, quae tradiderunt, placita prorsus spectant ideam, et minime sensibus, sed unice mentis rationisque acie percipi possunt. Optime igitur meriti sunt de philosophia et mirum in modum promoverunt atque eruerunt scientiam a naturae fallace quasi facie et visionum opinionumque refutarunt deceptiones nulla plane alia ratione, nisi enucleatis e natura notionibus et ideis. Mens enim, quam ideae vim et potestatem nuncupavimus, priusquam idealem suam naturam comprehendere potuerit, earum rerum, quarum auctor est, definitiones ac vires exquirere et constituere debebat; quibus factis porro ad altiorem et sui quidem ipsius cognitionem, i. e. conscientiam processit. Nam postquam Heraclitus jam naturam vere vivam seque continuo moventem ostenderat, atque eam substantiam, qua omnia exsistant et ab ea contineantur, quamque *πῦρ* appellabat, et animam et mentem, ex qua notionis necessitate quadam (*εἱμαρμένῃ λόγου*) pariantur quum in natura, tum in animo demonstraverat, haud multum abfuerunt viri illi, quin puram quoque mentis naturam ac virtutem comprehenderent atque distinguerent a rerum ideis et elementis. —

Anaxagoras, studiosus ille siderum contemplator, praecipue is fuit, qui primus philosophus hanc mentis et materiae distinctionem demonstravit probavitque. Et cum utramque per se constare et sine ulla unquam commixtione cooperari opinaretur, duo naturae principia esse, unum, quod moveat et efficiat, alterum, quod moveatur et efficiatur, constituit, atque ita dualismum, ab Heraclito prorsus sublatum, cujusque partes idealismum et realismum vocant, introducit in philosophicae doctrinae ambitum. Primam omnia moventem causam, quam *νοῦν* appellabat, intelligentem fecit et omnes res agentem et ad unum quendam rationalem finem constituentem. Verumtamen, quomodo ea, hac virtute praedita, comprehendenda sit, et qui fieri possit, ut materia per se ipsam constans cum mente conjunctionem ineat, nulla ratione probavit. Quam ob rem jam Plato et Aristoteles eum urgebant et vituperabant.

Totam autem ejus doctrinam judicemus vehementer laborare e mentis stabilitate, quae ipsa non modo hujus dualismi causa est, sed effecisse quoque videtur, ut hunc dualismum, cujus fixam formam auctor ejus haud, ut debebat, dissolvit, per totam veteris Graeciae philoso-

phiam vim suam obtinentem videamus. Anaxagorae doctrina, persaepe magis, quam meruit, laudata universe minus rationis, quam mentis vi constituta, et hanc ob causam verum quidem illud discrimen invenisse; affirmata autem illa, a recta via aberrasse dici potest; quod ex eo maxime apparet, quod de ideis aut nihil, aut male disputabat, easque plane negligebat.

Neque tamen negari potest, Anaxagoran fuisse primum, qui philosophiam dividerit in duas partes, philosophiam *realem* seu *naturalem*, et *idealem* seu spiritualem. Quo etiam illud effecit, ut hac philosophiae forma posteris ac proxime quidem *Atomisticae* et *Atticae* fundamentum quasi jaceret. Prae ceteris autem, quum hoc loco non philosophiae historiam exponere, sed idealismi viam monstrare destinavimus, nobis dignissimum explicatu ac memoratu videtur, quo modo post Anaxagoran abstracta ejus idealismi facies sublata sit a ratione, menti ejusque constantiae repugnante. Qua ex pugna non modo philosophiam idealem enucleari, verum etiam novam ac tertiam quidem philosophiae *dialecticam* dico, seu *rationalem* partem prodire videbimus. —

Mentem (*νοῦν*) igitur cognovimus mundi esse principem causam ad finem quendam omnia dirigentem ac vi penetrantem; illius autem naturam Anaxagoras, physicus et astronomus, amplius explicare aut non audebat, aut nesciebat. Quum autem mens id sit, quod moveat et efficiat ea, quae exsistant, in prodeuntibus rebus maxime appareat et se ipsa manifestat necesse est. In rerum natura Anaxagoras ipse divinum optime pulcherrimeque institutum ordinem probaré et affirmare conatus est; non aeque, aut minus certe in rebus, quae ad societatem humanam, ad sentiendi et dicendi, ad cogitandi vivendique rationem pertinent; quamvis etiam in his omnibus mentis divinae potestatem cognosceret. Immo vero mens Graecae aetatis jam adeo erat progressa, ut pluris aestimaret sui ipsius, quam naturae cognitionem. Quo factum est, ut eam e natura et naturalibus quaestionibus ad se et sui ipsius investigationem redeuntem, et naturam hoc ipso reditu quasi relictam a mente in atomismum, ut sic dicam, dissolutam conspiciamus. Mens enim prioribus studiis naturalibus eripuit quasi et sibi vendicavit rerum animas sub specie notionum, iisque contenta spiritualem sive idealem mundum componere nisa est.

Verum enim vero haec quoque sui cognitio et scientia, non tam subjectiva, quam objectiva appellari oportet. Nam non pura notione comprehenduntur et inspiciuntur mentis in vita cogitationes, orationes atque actiones, sed notione quasi concreta, i. e. ea ratione, sub qua sese ipsas in vitae cogitatis, dictis actisque manifestant. Quas, ut appellavimus, concretas mentis formas sive ideas ad puras efferre et suam ipsius abstractam et adhuc vacuam formam multis variisque quasi figuris et speciebus complere nunc mentis est negotium ac studium.

Hac igitur expositionis via eam stationem consecuti sumus, qua istos viros, qui a Graecis *Sophistae* nominantur, invenimus, ex quorum medio maximum sophistam *Socratem* prodiisse scimus. Omnes autem mentis cum cogitationes tum vitae actiones quum pertineant aut ad societatem civilem, aut ad voluntatem, de his praecipue nunc disputandum est et exquirendum.

Quaestiones omnium sophistarum versantur, ut paucis dicam, in eo, quid verum sit et falsum, quid bonum et malum, quid pulchrum et turpe, quid utile? Quibus autem investigatis, pernicies et civibus et sophistis hac de causa orta est, quod sophistarum disputationes et orationes in iis modo volverentur et quiescerent vitae visionibus et opinionibus, quas quisque sui ipsius captu secum fert et ex vitae variis et multiplicibus actionibus verbisque colligere potest. Omne igitur et sane magnum eorum meritum in eo ponere debemus, quod mentis spiritusve in vita humana visiones actionesque ex objectiva seu naturali in subjectivam scientiae vel omnino e natura in animi sive idealem formam transtulerint, ac mentis vacuum hac ratione materia quasi expleverint, et hujus materiae scientiam comparaverint. Sicuti enim physicorum Graecorum studium id maxime spectavit, quot aut quae in rerum natura essent principia vel elementa, atque his universalibus ponendis periculum fecerunt: idem etiam sophistae, secuti viros illos politicos, quos Graeci σοφούς i. e. sapientes et prudentes in rebus civilibus nominabant, in rebus ethicis, politicis ac dialecticis efficere conati sunt. Atque ut illorum doctrina postremo maxime Anaxagora et Empedocle praeuntibus *reali* Leucippi et Democriti atomismo est finita, eodem etiam modo sapientium seu σοφῶν Graecorum studium *spiritualis* sive idealis quidam sophistarum atomismus conclusit.

In hac rerum, scientiarum actionumque et divinarum et humanarum clade exortus est maximus ille verusque sophista *Socrates*, qui, hac ruina effecta, elementisque omnibus discussis, novum et scientiae et sapientiae formam protulit ejusque et adumbrationem et fundamentum reliquit. Etsi, ut sophista, omnibus in disputationibus et expositionibus exordiretur a singulis visionibus et opinionibus; attamen in his haud conquieverit, sed singulis dissolutis in eorum elementa, rem ad veritatem sive ideas, quae cuique rei substratae sunt, perduxit ita, ut mentem rationemque omnis veri, boni pulchrique causam et judicem probaret, et opiniones visionesque hoc modo ad notionis, singula ad universalium dignitatem promovere contenderet. Aperuit igitur, vel innumera opinionum capita concludens, vel rivulos in eum, qui videtur, alveum deducens, verae et rerum et sui scientiae fontem.

Nam quum mens sub sophistarum specie sui tamquam inscia, externis rerum et notionum visis quasi lusisset, iisque esset gloriata, nunc ad internum scientiae fontem iis reductis, summae severitatis faciem

sibi sumpsit, immo in disputationum, ut, videtur lusu. Quo autem et quanto stupore, immo torpore mens, sui conscientia exorta, correpta sit, Socratis exemplum ejusque δαιμόνιον plane manifestat, et inter omnes satis constat. Itaque est factum, ut illud Apollinis: „γνῶθι σαυτόν" summum philosophiae et sapientis dignissimum praeceptum affirmaret, omnesque quaestiones ad sui ipsius cognitionem converteret; quippe quod omnis scientia idearum, seu quid verum bonum pulchrumque sit, haud in rebus inveniri, sed quoniam nobis innatae essent, reminiscendo ac disputando reperiri posset. Maximo igitur jure suo non, ut vulgo dicitur, *ironice* modo, sed vel *severissime* dictitabat: „*se nihil scire*," scilicet vere, quippe qui nunc demum, sui conscientia exorsa, omniscunque veri, boni pulohrique scientiam esse instituendam et comparandam arbitraretur. Viam autem, qua ad veram hanc scientiam pervenire possimus, in *ratione* et *oratione* ponendam esse putabat, et hoc modo *tertiam*, quam *logicam* et *dialecticam* sive *cogitandi* et *disserendi artem* nominant, philosophiae duabus prioribus, ut hac conjungerentur et affirmarentur, adjunxit partem.

Illud autem mihi praestantissimum et laude nostra dignissimum videtur, Socratem omnes et ethicas et politicas artisque notiones reduxisse ad ideas, quae suo arbitrio in ratione quidem et mente oriantur, verum *verbo* (λόγῳ) quasi inspiciantur, eoque comprehendi possint. Quibus factis et quaestionibus et disputationibus fundamentum stratum est, et finis et modus vitae communi praescriptus. In mente igitur et ratione earumque actionibus quamvis veritatem sitam esse, haec est mirabilis illud mirifice a Socrate homini vindicata veritas, ex qua omnes post eum sciendi agendique formas, sicut ex sole radios exire videbimus.

Socrates quamquam omnes communis vitae formas ad notiones et ideas reduxerat, seu quod idem est, rationis mentisque vel spiritus concretas species ad puras mentis actione prolatas extulerat, et ita realem spiritum in idealem mutaverat, omnium autem et notionum et actionum summum et extremum id, quod universe seu vere bonum, i. e. boni idea, et sciendi et agendi finis sit, posuerat: viam tamen, qua idea in membra sua quasi explicanda et forma definienda et explananda sit, haud satis clare ac distincte disseruerat. Quo etiam factum est, ut inter ejus discipulos acerrimum dissidium certamenque exoriretur de ideae forma ejusque explicandae via.

Megarici enim philosophi, Socratis sectatores, boni ideam seu summum bonum esse *unum*, idque modo esse et continere multa nomina, ut Deum, mentem etc. existimabant. Qua ideae sive unius forma illud Eleaticum unum redire conspicimus, ita autem, ut non naturali, sed ideali modo, non realiter, sed idealiter implicita ratione, ut ita dicam, *logice* definitum et comprehensum sit; atque in se ipsa reclusum.

Qua abstracta ideae definitione ac forma relicta, *Cynici* ad concretum sunt progressi. Addiderunt enim purae seu logicae ideae speciei externam quasi et materialem formam, ita ut idea non solum pura anima, sed etiam materialis vel, ut ita dicam, materiata esset; utrumque autem, quod vitae communis idea sive anima, et quod ejus materia seu forma est, in unum comprehenderent absolute concretum, quid homo sit, isque non vitae communis sive humanae societatis particeps, sed in se contractus, inclusus et minimo quoque modo cum vita coniunctus. Omnem igitur rationis naturam atque actionem contineri et effici naturali [illegible], idque bonum esse, hac ratione libertatem efficiendam putant.

Ultra hunc boni libertatisque finem progressi sunt *Cyrenaici*, qui opinabantur, summum bonum et libertatem non nisi vitae consuetudine, societatisque nexu posse comparari. Verumtamen hoc consequendi studio, quum idea sese ipsa in his singulis vitae rationibus non explanaret, sed ea potius ut accidens et fortuita illis modo adjungeretur, vel quum ipsam, non ut principium et causam, sed exitium et actionum effectum, judicandam atque afficiendam crederent: ideae ipsius aeterna vis et potestas fracta est, singulis sensuum animique deliciis prodita, atque, ut uno verbo dicam, ejus solummodo externa seu materialis pars exercita ac celebrata.

Novum autem ac mirabile sidus coelo assurgens altissima quaeque suo lumine tangit, profundissima illustrat, extrema colligit, deosque hominesque conjungit, — *Plato.* —

Hoc loco quum de idealismo tantummodo agatur, cetera praeter hoc unum, seu de ideis, nostri ingenii placita relinquamus. Summum sane hujus philosophiae caput doctrinam ejus de ideis esse putandam, inter omnes plane in promptu est et conspectu. Nec minus illud, Platonem vere esse idearum auctorem, ac cum ipso idealismum in philosophia maxime exoriri.

Jam supra autem commemoravimus, eum quum permulta, tum principia idearum debere praecipue Pythagoraeis. Neque enim nunc dubitari potest, quin Plato in hac re profectus sit a Pythagoricis numeris, appellatis ab illis principia rerum sive elementa (ἀρχαί); quippe quod permultis scriptorum locis numeros esse eosdem cum ideis obtineatur et demonstratur *). Exiit quidem Plato in explicandis ac definiendis ideis a primo seu summo uno Pythagorico, quod Pythagoras ipse et hoc auctore Plato etiam *μονάδα* seu *πρῶτον ἕν* nominabat; e monade autem et dyade (δύας), utraque indefinita, obtinebat effici denuo unum definitum (ἑνάς), comprehensis extremis atque in medium quoddam punctum conversis;

*) Quod inter omnes maxime apparet e „*E. A. Brandis* diatribe academica de perditis Aristotelis libris de ideis et de bono s. philosophia. Bonnae, 1823."

versis; quo etiam fit, ut hoc unum, a primo diversum, hujus ipsius actu *trias* (τριάς) sit, et Pythagoraei et Platonici haud primum unum, sed dyada, ut debebat, primum esse numerum arbitrarentur. Omnis enim numerus nonnisi definitione et quodam modo fit; quod autem ipsum indefinitum et unicum est, numeros esse non potest. Pythagoraeorum autem numeros speculativos seu rationales et concretos, nec mathematicos tantum sive abstractos fuisse, e multis veterum scriptis monumentisque elucet.

Sed Plato fuit veterum philosophorum primus, qui discrimen fecit inter numeros *ideales* seu concretos (εἰδητικούς) et mathematicos (pertinentes ad τὰ μεταξύ). Summum igitur seu primum illud unum (μονάς) ab ipso *idea* (ἰδέα) nuncupata est; verumtamen ita, ut progressu explicationis facto, illud indefinitum unum desipiret, i. e. henadis triadisque ambitu circumscriberet. Unum igitur sub ideae specie modum quendam et formam nactum est, quam posteriorem saepius nonnunquam ideam quoque ipsam, seu μορφήν i. e. *formam* nominabat; formam autem realem (ideam) destinavit sibi adjungere attrahendo et comprehendendo dyadem, quam ipse πλῆθος vel ὕλην, Pythagorei etiam ἄπειρον δυάδα nuncupabant.

Quis autem nostrum est, qui ignoret, Platonem hac ideae specie Anaxagorae mentem (νοῦν) finibus quibusdam circumscripsisse, atque animae ratione suum quisque modus corpus ad finem quendam comparare et explicare? Qua ex causa etiam idea ipsa non sensu, sed ratione concipi potest, et a Platone *divina* vel *Deus* ipse, nec non *bonum* (*höchstes Gut* — *Gott* —) est appellata, ita ut tria ideae momenta afferret: *bonum* (τὸ ἀγαθόν), quod quasi fundamentum et ideae principium, *pulchrum* (τὸ καλόν), quod ad formae modum et exsistentiam pertinet, et *verum* (τὸ ὄντως ὄν s. τὸ ἀληθές), quo utrumque prius ad boni finem seu naturam comprehenditur et ad conspectum venit.

Ex quibus omnibus concludamus, quo jure Plato obtinere potuerit, omnia, quae fiant et sint, nonnisi ideis fieri et esse, atque eas modo ex et fieri et effluere ex prima idea sive summa unitate vel divina mente et eo refluere; immo vero omnes, quot et quantae sint, ideas sub numerorum specie sese explanare et summa idea contineri. Ideam autem ipsam seu divinam rationem auctore Socrate purissime ac clarissime ad sensuum captum venire oratione (λόγῳ); orationem igitur esse rationem ipsam et in eadem mentem divinam ideamve nos intueri et concipere posse omnimodo ad intellectum ferre conatus est. Quis ergo nesciat, quantam vim ac potestatem ejus sermo in disserendis placitis suis aliorumque, quam artem *dialecticam* appellabat, habuerit? Dici sane contendique debet, Platonem, ut Socratem, ceterosque hoc tempore philosophos spiritus formas seu notiones non in puro, ut ita dicam, ideae seu cogitandi elemento conspexisse et comprehendisse; sed omnes ex animo

quasi emissas sub spiritualis soni specie a sensibus et arreptas comprehensasque, et intellectuali modo esse conspectas. Necesse igitur fuit, artem dialecticam ut exercerent, notionesque sonoras ab uno ad alterum moverentur et removerentur, flectendo autem et reflectendo notionis orationisque filo vere bonum pulchrumque usque ad extremos fines et principia investigare et enucleare molirentur. Atque haec dialectica forma quamquam adhuc imperfecta erat, ad quem tamen perfectionis gradum Plato eam quoque provexerit, mirum in modum ipsius, quem Parmeniden appellant, dialogus testatur.

Platonis igitur idealismus nullo modo nominari potest subjectivus, propterea, quod ad hunc explicationis statum proficisci nondum potuit. Itaque medium quodammodo tenet, ut ita loquar, inter pure objectivum et mere subjectivum; quippe quod omnium rerum formae, idque vere ens bonum et pulchrum in oratione (λόγῳ) comprehendantur et idea, ut divinus quidam visus, spectans non minus ad rem, quam ad rationem, conspiciatur, et hanc ob causam objectivus potius, quam subjectivus vocetur liceat.

Quaestio enim, quam notiones quantamque rationem, constantiam et veritatem, utrum subjectivam modo, an objectivam usurpent, haud omnino hoc tempore severe est facta. Obscurae igitur et dubiae sane omnes hae res jam proximo ab eo videbantur tempori. Et hac mirabili tantum ratione divinum quendam philosophus ipse divinus idearum statum constituerat, quam sane concupiscas, discipulus non minor, quam ipse auctor, ad puras rationis formas extulerit, earumque inter sese ex summa idea explicationem haud imaginibus et adumbrationibus, sed puris notionibus et archetypis quasi praestiterit; sed frustra desideres! Est enim quidam ut aetatum, sic hominum modus finisque, quem quicunque consequutus est, haud ultra facile procedat.

Maximus Platonis, acutissimus, doctissimus discipulus immo, ut sic eum appellem, doctor et hominum et gentium, fuit — *Aristoteles.* —

Hic mirabili captu atque acie omnium rerum divinarum humanarumque fines cognoscendo perlustravit, spatia emensus est, ac descripsit, descripta autem sane magna posteris reliquit. Si fortasse Plato ultra temporis fines promovit Graeciae ingenium, Aristoteles is fuisse videtur, qui illud reduxit in peculiares a natura ei praescriptos fines. Rediit enim ex iis, quibus Plato appropinquaverat subjectivi idealismi regionibus ad illam tum tempore ortam vere objectivi et plastici quasi idealismi formam, qua *esse* et *cogitare* in uno indiscreto, notionesque naturali quodam modo concipiuntur et oratione styloque proferuntur. Omnes igitur Aristoteles et naturales et spirituales species investigationi et judicio subjecit, omniaque, quae ad dijudicandum accepit, in partes et principia dissolvit. Mirabili quodam acumine ideas quoque Platonicas numerosque Pythago-

ricos dissolvendo refutavit explanavitque in eorum elementa, ita tamen, ut mentis acie rationalem non summae modo ideae, sed omnium omnino idearum explicationis cursum, conjunctionisque rationem relinqueret. Quibus rebus etiam fit, ut difficile sit intellectu ejus rerum omnium definitiones eorumque abstracta elementa et dissoluta quasi totius membra.

Ideas Platonicas, ut notum cognitumque est, refutat eo scilicet modo, ut demonstret earum singulas partes et principia. Fundamentum omnium et idearum et rerum aeternum atque immobile ponit *substantiam* i. e. *οὐσίαν*, quam etiam *πρώτην φύσιν* nominat; omnia deinde et se per se ipsam movens ac divina vis *mens* s. *νοῦς* vel *εἶδος εἰδῶν* est. Eodem modo *materia* s. *ὕλη*, et *vis* vel *potentia* s. *δύναμις*, sibi oppositae quidem, nunquam autem discretae sunt. Conjungens ipsum principium *species* sive *εἶδος* vel *μορφή* nec non *φύσις* et *ψυχή* dicta; speciei denique *actione* vel *ἐνεργείᾳ*, et materiae conjunctione constituta est alia quaedam, cui species ipsa *agendi finis* seu *τέλος* est, actio, rei exsistentiam efficiens, quam Aristoteles *ἐντελέχειαν* vocat.

In quibus omnibus definitionibus idealia vera momenta atque elementa haud quidem ignosci possunt, sed non rationali modo, nec distincta, nec conjuncta conspicimus. Maxime vero commemoratu dignae et apud Aristotelem graves notiones *εἶδος* sive *species* vel *forma*; et *ἐντελέχεια* sive *actio finalis* esse videntur; neque nescire possit, utrumque maxime constituere Platonis ideam, immo Platonem nonnumquam vocare eam *εἶδος*, quod communem illam sive universalem speciem, quam similibus aequalibusque rebus subesse conjicimus, non solum omnibus his verum singulis etiam sempiternam et divinam, haud abstractam, sed concretam et unum esse voluerit. Qua de re etiam jure obtineamus, Aristotelem ultra Platonis idearum fines migrasse, eam correxisse et singula acrius perspexisse et profundiori meditationi subjecisse. Optime igitur de scientia rerum meritus est, propterea quod in distinguendis definiendisque rebus mirabilem quandam et verborum et orationum perspicuitatem et mentis protulit constantiam. Quibus etiam factum est, ut illa, qua nemo nec antea, nec postea, scientiae claritate et copia cogitandi actionem sciendique modum e rebus in animos transtulerit. Novam igitur cogitandi sciendique formam sua ipsius Aristoteles minus ipse iniit, quam constituit vere Graecam i. e. eam, in qua cogitatis rebus haec ipsae minime a mentis actione sive cogitatis distinguuntur, sed in uno atque indiscreto, quo reale et ideale ratione conjuncta et signata sunt, concipiuntur; et hanc ob causam Aristotelis philosophiam *plasticam* et *classicam* nominaverim. Omnino autem scientiam ita promovit, ut eo praecedente mens praeparatum quendam proprium et idealem quasi mundum, notionum dico, eumque singulis elementis explicitum inveniat, in quem e sua per realem mundum dispersione animique distractione

sese recipere, colligere omniaque et maxime universalia secum reputare, ordinemque singulis afferre possit. —

Quod autem ut revera consequatur, permulta sane et pericula erant facienda et facta sunt praecipue a duobus eodem, quo ille vixit, tempore viris eorumque philosophiae scholis: a *Stoicis* et *Epicuraeis*. Verumtamen etiam haec, quamvis imperfecta et fluxa tentamina haud fieri potuissent, si non mens suis ipsius actionibus conversionem sane memorabilem et gravem jam inivisset. Ad hunc enim scientiae et conscientiae statum pervenerat, quo natura aut parum aut nihil sua interesset, quo naturae studium paene omnino negligeret, et se ipsam retinere inciperet. Jam erat jucundum illud et naturale realis et idealis scientiae aequilibrium quasi turbatum atque interpellatum; quantum enim ideale ascendit, tantum descendit reale. Atqui necesse etiam erat hoc, ut eveniret, quum mens jam sui aciem in actiones scientiae et vitae communis convertisset, et hac ipsa conversione et rerum notionibus sibi vindicatis et in animo collectis earum in unum totum constituendarum fecisset periculum. Qua ipsa sui a rebus, quae a prima mentis agitantis luce potestati suae subditae sunt, abstractione se in se ipsa colligit, sui conscientiam, notionumque, quas efficit, scientiam et omnium harum libere inspiciendi dijudicandi et in ordinem redigendi facultatem sibi praeparat.

Jam apud Platonem haec mentis rationisque libertas exorta est, ab Aristotele autem fere rejecta; et quod tam magis necessarium videbatur, est pertractatum. Stoici autem et Epicuraei, fracta objecti sciendi unitate, objectivum idealismum seu realem sciendi rationem deserunt, et ad subjectivum sive idealem migrant, et absolute liberae mentis praeludium quasi ita inchoant, ut utrique sane comparari possint cum Graecorum poësi dramatica, quae in duas partes dirempta, alteram severam et fatalem, alteram laetam, jocosam et libidinosam manifestat. Utrique tamen *hominis*, ut est spiritualis et materialis naturae, cognitionem et verae vitae rationem parare student, immo scientiam ipsam minus sua causa exercent et comparant, quam ut vitam communem instituant.

Nam *Stoici* rationalem humanae naturae partem ejusque vitae actionibus perfectionem summum bonum posuerant; et hanc partem veram hominis naturam nominavere, quam sequi optimum esset. Omnes igitur artes et scientias, cogitata ac dicta huc pertinere debere statuerunt; et quemcunque finem Stoicus sibi proposuerit, omni modo ars logica, dialectica et rhetorica opus ei erat. Quibus factis concedi debet, eos has artes, quae omnes spectant aut ad animi mentisque, aut ad vitae communis virtutisque cognitionem et eruditionem prorsus et longe promovisse atque ita haud mediocrem ad mentis libertatem fecisse progressum; id quod de *Epicureis* aut nullo aut minime jure quisquam obtineat; quippe quum non notiones, quid veri rectique sit, manifestare, sed singula unius cujusvis hominis dicta et facta, sensus et impetus, vo-

luptates et libidines veram hominis naturam constituere et mentem et animum afficere, afficiendo autem voluptatem aut dolorem afferre crederent. Quo factum est, ut summum bonum constituerent laetum animi mentisque statum esse vel voluptatem. Et sane hoc uno placito notionum rationumque vim fregerunt, ideale atque idealismum dissolverunt ac denique, quum ipsi philosophorum nomen usurparent, philosophos et philosophiam, quod vere sunt et doctrina et vita sua illuserunt et sunt cavillati. Quae philosophiae ruina haud parum accelerata est a *nova Academia*, quae, ut cognitum est, omnem prorsus scientiam negabat ac veritatem. —

Sub ditione *Romanorum*, qui non modo sua natura philosophi non erant, sed nec percipere quidem poterant philosophiam, qualis Platonis est, aut Aristotelis, Graeciae ut artes et instituta, ita philosophia aegrescit, pallescit, decidit. Verumtamen hoc ejus lapsu ad novam sui conscientiae altioremque ideae formam homo adductus est, et praeparatus. Nam a natura, diis hominibusque relictus et in suam animi mentisque solitudinem repulsus, magnam sibi variamque totius artis et cogitationum et vitae rationum collegerat copiam, et animo ejus inhaeserunt, etsi non scientiarum ordines, verumtamen cogitationis tam variae visiones et species, ut, mente iis plane obruta et immersa, incitamento solum externo opus esset, quo impelleretur ad novam sciendi ac vivendi rationem et libertatem. Hic impulsus animo mentique evenit ex Oriente, litterarum et scientiarum divinarum humanarumque patria. —

Alexandriam omnes tum tempore comparati orbis terrarum thesauri et artis et scientiae convenerant; Alexandriae omnes divinarum et humanarum rerum scientiae explanatae et explicitae coaluerant; Alexandria thesauros suos viris doctis aperuerat. Quibus omnibus accessit nostrae *Christianae religionis* exortus, quae quamvis Judaeorum e finibus profecta, tamen Alexandriae maxime et sciendi vivendique conversionem effecit. Religio ipsa hoc loco reformata, ad altiorem formam promota et hac nova specie est propagata in diversas terrae partes. Omnibus his, quos leviter obiterque attingens modo commemoravi, scientiae casibus, nova ejus et theologicae et philosophicae forma est producta. —

II. Idealismus supernaturalis.

Verum enim vero haec nova Idealismi facies plane contraria est ei, quam in antecedentibus physici Graeci praestabant. Illi enim magni viri naturam esse divinam vel Deum ipsum crediderunt, et hac fide principem ejus substantiam et potestatem, omninoque naturam quaesiverunt in universi rerum ordine, haud plane scientes Deum non minus,

quam in rerum natura, in animo et esse et conspici posse. Quum autem humana divinam mentem in natura comprehendisset, se ipsam cognoscere ac comprehendere incepit. Atticorum philosophia medium quoddam tenet inter physicorum et Neoplatonicorum. Exhibebant enim Attici illam praeclaram pulchramque aequalitatem et unitatem hominis et naturae, mentis et rei, ita ut Deum vel divinam naturam in omnibus realibus et spiritualibus naturae modis secundum idearum ordinem et praestantiam perciperent; immo vero dii hominesque societatis et naturae quodam vinculo conjungerentur. Hunc mirabilem naturalem statum turbati sunt philosophi sequentes, praecipue Stoici, Epicuraei et nova Academia.

Sed a Socrate jam cognita quidem erat Dei in animo rationeque praesentia, verum non amplius exquisita et definita; quo etiam factum est, ut hunc numinis visum discipuli ceterique philosophi aut non satis intelligerent, aut despicerent et ad naturalem ejus formam redirent. Noster autem *secundus* aut Idealismus supernaturalis Dei praesentiam non modo in animo quasi restituit, sed naturales animo inhaerentes formas in divinas ita convertit, ut priorem et maxime Socratis Platonisque ideae abstractam Dei naturam expleat, disserat, constituatque divinum mundum vel regnum, prorsus ab eo diversum vel contrarium ei, quod naturale appellavimus. Tota natura est quidem divina, ut apud veteres Graecos, verumtamen non in naturali, sed ideali statu, non ut vere est, sed talis, qualem mens pure cogitat, seu reddit spiritualem. Deus ipse igitur non naturalis, sed spiritualis animo conspicitur menteque intelligitur et se ipsum quasi ita explanat in naturales, quaecunque spirituales notiones et ideae animo adsint, ut concretam quandam, sed spiritualem vel abstractam et idealem nec non super mundum sensibilem alte elatam Dei naturam mente intueamur.

Haec *supernaturalis idealismi* forma Alexandriae orta, ibique a doctis viris quodammodo est praeparata et instructa. Jam enim collectis, explicatisque veteribus litterarum monumentis eo sunt ducti, ut in omnibus intelligerent inesse aliquid ejus veri, quod ipsum est verum; quo factum videmus, ut mox periculum facerent, haec unius veri momenta enucleare et demonstrare primum in Pythagoricis, Platonicis et Aristotelicis decretis, omniaque haec in unum totum componere. Mox autem iis admiscuerunt theologica et cosmologica ex Oriente accepta, omniaque conjungere coeperunt. Quam rationem sequutus magnam laudem nactus est illo tempore Judeus *Philo*, qui *Mosaica* praecipue atque omnino illa in scriptis sanctis relata cum Graeca philosophia conjungere et ita illustrare studebat, ut scriptis sanctis semper altiorem quendam sensum subjiceret, propriam scilicet vel, ut ita dicam, *naturalem historiam* in *divinam* quandam et intelligibilem s. *supernaturalem* commutaret, ac Platonis praecipue ideis explicatis, mundum pure intelligi-

bilem componeret; Deum autem ipsum non *naturam*, sed *spiritum*, totam naturam continentem et explentem statueret. —

Eodem fere modo *Cabbalistae* et *Gnostici* physicam seu scientiam naturae transtulerunt in scientiam divinae naturae i. e. ita converterunt, ut eam in idealem commutatam divinae naturae explicationem, et emanationem et retractionem in unum ens et primum constituerent. Omnia haec Cabbalistarum et Gnosticorum saepius explosa quidem placita, a nostris autem non satis cognita, perspecta et aestimata esse, atque hac de causa severiorem et profundiorem, quam iis contigit, explicationem desiderare videntur.

Inter omnia autem hujus idealismi lumina ad summum fastigium ascendere, quae *Neoplatonismo* adnumerantur. Manifestant sane praeclare, quantum valuerit Graecorum ingenium peregrino loco et tempore, et quantum fructum in alio, ac patrio agro, alienoque quasi semine consito, proferre potuerit. Neque enim quisquam miretur videre hanc doctrinam sub antiqua Graeca forma, aliam autem, atque illo tempore, materiam continente. Tota enim naturae externa facies in internam animi mentisque speciem translata est, neque amplius extrinsecus, sed intrinsecus apparet. Quo evenit, ut idem, quod Stoici a sapiente exquirebant, quippe cui summum bonum seu divinum nec non virtus sit perficiendum, quo modo autem et qua via id fieri possit, satis exponere non poterant, hoc loco scientia ac vita revera effectum videatur.

Tres potissimum viri, qui hanc novam doctrinam ad quandam haud mediocrem celebritatem efferebant, fuere *Ammonius Saccas*, *Plotinus* et *Proclus*; quorum *primus* Socrati haud dissimilis docebat quidem et doctrinae novae auctor fuit, suae philosophiae autem nullam partem descriptam relinquere voluit.

Verumtamen celeberrimus ejus discipulus *Plotinus*, petentibus sectatoribus, non modo magistri, sed suo acumine longe promotam doctrinam scriptis mandavit posteris. In his omnia, quae sunt, e summo uno (ἓν), quod vere bonum sive idea et Deus est, ita deducit, ut id unum primum sit dyas et quidem substantia et mens (οὐσία et νοῦς), deinde emanationis ratione ex hac dyade procreantur tres mundi, quorum primus idealis est et aeternus, sive ante creationem in divina mente; alter is, qui realis sive creatus in lucem venit; tertius denique, qui fit et alius in alium semper commutatur. In quibus autem omnibus cogitandi actionibus Deus sub mentis specie, sive ideali forma conspicitur et promanat; ex quo etiam efficitur, ut Plotinus omnia ad hoc unum summum bonum et felicem statum, mente abstracta ab omnibus, quae sub sensus cadunt, terrenis et fluxis, reducere, et a corpore, ut malo, quod quemque pudeat, absolvere moliatur.

Jam perfectius distinctiusque explicitam formam et concretiorem materiem haec scientiae species nacta est a *Proclo*, omnium et philoso-

phicorum et sacrorum sacerdote, qui ut priores, a summo uno, ὑπερουσίᾳ s. *supernaturali* ab eo nominato, egrediens, ad triadis et enneadis seriem id summum unum exponit et praecipue tres mundi intelligibilis, quem solummodo vere esse vult, constituit ordines, quibus quartum definitum et sensibilia omnia adjungit. Haud multo post, hac philosophica schola Athenis florente ab imperatore Juliano clausa, philosophiae ipsi finis est factus.

Nobis, hanc novam Graeciae philosophiam spectantibus et animadvertentibus *singula*, quae de placitis factis, fatisque horum doctorum virorum referuntur sane mirabilia, quin etiam futilia videantur, ac revera visa sunt; sin autem *totum*, alia erit et sit necesse est sententia. Mens ac natura in hac sciendi vivendique forma plane discretae sunt, per se constant, et suam quaeque potestatem vindicat et libertatem. Itaque mens ipsa concretior quasi facta, hanc acceptam concretam materiem conatur redigere in ordinem intelligibilem s. divinum et unice verum; id, quod vere maximum ac summum hujus philosophiae fructum crediderim. Nam quomodo humanae mentis ideae simul etiam sint divinae vel quomodo, quod extremum est et finis, simul primum et initium esse possit, id ab iis receptum quidem est et positum, nunquam autem et nulla ratione probatum ac demonstratum. Quo etiam factum est, ut eorum placita et decreta ad confirmandam divinationem quandam et fidem, scientia praestantiorem, miracula postularent eaque ipsi exercerent. Neque minus in promptu esse videtur, eos omnia sensibilia magnopere despexisse seque ab iis dissolvere studuisse, quippe quum idealem s. divinum, mundum cum sensibili s. reali, infinitum cum finito, finem cum initio, ratione duce, conjungere nescirent.

Haec multaque alia obscura ac spinosa, quae illi viri divinatione magis, quam ratione agente comprehendebant et proferebant, aenigmatis instar nostro tempori relicta sunt, et sane majorem mentis rationisque postulant vim et exercitationem, multoque ditiorem scientiarum copiam, quam illorum tempore fieri potuit. Qua de causa etiam hanc doctrinam *theologiam* magis, quam *philosophiam* nuncupare licet; quod jam eo probari videtur, quod post Athenarum lapsum eadem a patribus ecclesiasticis, prae omnibus autem a celeberrimo *Augustino* in Christianae ecclesiae doctrinam translata sit, et ruinae quasi adhuc nostro tempore in ea conspici possunt; immo vero non multum mihi errare videor existimanti, illam, vulgo *Scholasticam* nominatam philosophiam Neoplatonicae, vel si quis malit, veteris omnino novaeque Graeciae philosophiae modo conclusionem esse et finem.

Nam universe haec philosophia dici potest prorsus versari in purarum idearum s. notionum finibus ita, ut Neoplatonicorum et hac de causa jam nominari posse eorum continuationem et progressum. Inter omnes etiam satis notum cognitumque est, theologiam et philosophiam unam

unam eandemque esse Scholasticos contendisse, et eorum doctrinam ortam esse duplice quodammodo radice, ex Ecclesia et philosophia vetere, potissimum Aristotelica. Ecclesiae autem doctrina coaluit e sacris V. et N. T. scriptis et Neoplatonicorum. Itaque primis medii aevi aetatibus Scholastici et theologi et philosophi ratione Neoplatonica i. e. *mystica*, ut vulgo auditur, et docuerunt et doctrinam scriptis mandavere.

Ubi autem Aristotelis ab *Arabibus Hispaniensibus* allata erant opera, contenderunt ecclesiae doctrinam dialectica et logica arte et probare et affirmare. Quibus rebus factis inter Scholasticos ipsos dissidium est ortum; quippe quum alii *mystici*, alii *dialectici* esse vellent. Immo, quod vere magni est habendum, sunt moliti doctrinam Neoplatonicam superare atque eorum sententias nulla ratione probatas vel immediate positas argumentis rationibusque demonstrare. Quo studio neminem eorum dubitavisse, quin notiones una et ideale et reale essent, nobis celeberrimus ille *Anselmus* praeclarum praebet exemplum.

Mox autem illa quoque vere nova et gravissima quaestio est prolata in medium, quam et quantam realitatem habeant notiones maxime universales, prae ceteris a *Duns-Scoto*. Obtinebat enim hic vir acutus, notionum realitatem modo *idealem* seu *formalem* et *nominalem* esse, non *realem* seu *naturalem*, quod quum in divina, tum humana locum teneant mente. Cujus contrariam sententiam, notiones scilicet et naturales vel in natura inveniri posse, praecipue *Thomas Aquinas*, ejusque sectatores vindicabant. Quapropter illi *Nominalistae* (s. *Formalistae*), hi *Realistae* appellantur. —

Nullo sane unquam alio, atque hoc loco, clarius fortasse apparuit illa inter novam et veterem scientiae formam orta disjunctio, immo vero hiatus quasi inter ideale et reale, inter mentem et naturam! Quaestionem enim istam si accuratius expendimus, haec est: quantum realitatis naturales a mente in animum translatae, vel omnino quantum veritatis ideae in animo exortae contineant; an reales una et ideales, aut ideales modo sint; et si sint ideales tantum modo, quantum veritatis id ideale ipsum contineat?

Fuit igitur demonstrandi locus, quomodo in notione sive idea reale et ideale conjuncta sint, vel quantum valeant ideae in mente et animo, et quantum in rerum natura; quomodo denique idea subjectiva, quae summum et extremum vel quasi finis naturae agentis est, eadem sit, ac subjectiva, quae est principium, seu primum unum? Quaestiones sane, quae, dubito, num nostro tempore jam prorsus sint solutae. Est enim hic locus mehercule cacumen quasi idealitatis et summo acumine philosophico vere dignus. Scholastici autem quum explanare eum non potuerint, etsi permulti summae aciei fuerint viri; tamen illa ideae dissolutio et sectio quasi hanc mentis excessit aciem et captum.

III. Idealismus rationalis.

Haec, quam modo absolvimus, idealismi forma per *tria* praecipue momenta, primum omnia, quae sunt et videntur in rerum natura, ex reali in idealem speciem traduxit; deinde omnium visorum et notionum ordinem tentavit; ac denique hujus ordinis et totius et singulorum naturam et fundamentum mente percipere conata est. Postremo autem factum vidimus, ut notio ipsa vel idea omni realitate privetur et nescio quid inane et vacuum exsistat; hanc ob causam novam dixerim inter ideale et reale, durissimam sane, sed etiam gravissimam esse ortam fissuram. Itaque tertia nostri idealismi forma nonnisi gravi, summaque virtute digno opere et magno hanc nunc duplicem inter ideale et reale exortam rupturam extinguendi ac vulnera quasi sanandi labore efficitur. Tria vel quatuor sane jam saecula mens humana hoc in opere se exercere haud destitit; immo post tot temporum et fatorum conversiones vicissitudinesque nunc nostro tandem tempore eo perventum est, quo nos tertiam idealismi formam esse exacturos ac perfecturos haud desperemus.

Sed incipere mens rejicere scholasticam doctrinam et artem, ac reverti ad vivam naturam, antiquitatisque litterarum monumenta necesse erat; quibus quum refecta et recreata esset antiquis scientiarum operibus, iisque restitutis et recognitis, tum demum suam ipsius et peculiarem naturam ducibus illis explanare et efferre ad altiorem scientiae formam audere potuit.

Non necesse videtur, ut explicemus, neque disserendi locus est, quot quantaque conamina ac discrimina facta sint in reficiendis exercendisque mentis viribus. Sufficiat commemorare restitutionem verae scientiae et simul altiorem idealismi gradum exortum esse partim ex Ecclesiae veterumque omnino de Deo et natura placitis, quae maxime retinuerunt, ut dicuntur, mystici haud raro vere philosophi, quorum prae ceteris nostrum Theosophum Teutonicum *Jacobum Boehme* appellem, eum, qui quasi divino afflatu summae ideae vel Dei triplicem naturam cognovit, formam autem ipsam imperfectissimam prodidit et horribilem; partim perscrutatis inspectisque naturae rebus, vel comparatis cum his veterum decretis, vel institutis novis experimentis. Qua quidem se in natura exercendi ratione rursus physicorum alii simul et *metaphysici* fuerunt, i. e. rationali s. philosophiae ratione rerum naturam cognoscere studebant; alii experimentis et singula modo aut inspiciendo et cognoscendo, aut in vitae usum vertendo; quam ob rem hi etiam *empirici* nominantur. Utrique autem eo conveniunt, quod cognoscere velint rerum naturam i. e. sibi scientiam parare eorum, quae sunt et quid sint et efficiant; utrique sane divino quodem furore arrepti atque impulsi na-

turae thesauros recludere, profundissimos recessus illustrare, et obscurissima quaeque mysteria aperire audent. Ecquis enim est, qui non noverit *alchemisticam* istam artem, et hujus magistrum celeberrimum illum *Theophrastum Bombastum Paracelsum?*

Inter philosophos autem, qui studio naturae et veterum monumentorum exerciti altiorem scientiae speciem asspirabant, maximus sane est *Jordanus Bruno*, vir ingeniosus et acutus, qui, quod memoratu dignum est, non suam modo mentisque naturam, verum etiam sui tam furiosi impetus et studii finem comprehendit sibique proposuit ope maxime artis Lulliae efficere mundi intelligibilis et sensibilis conjunctionem et unionem. Videmus igitur in hoc proposito mentis humanae studium sui ipsius et naturae, sive idealis et realis disjunctionem tollendi, et quum restituendi veram philosophiam, tum parandi perfectam idealismi formam. Verum enimvero et ipse et ille, qui eandem mundi intelligibilis et sensibilis reconciliationem et expiationem molitus est, *Lucilius Vanini*, vitae poenas dedere Ecclesiae.

Physicorum, experimentis tantum operam navantium, sive empiricorum, quorum auctor ille satis celebratus Anglicus *Baco a Verulamio*, eo solum mentionem faciamus, quod in eorum salvae mentis, ut dicunt, fundo novam et veram quidem, nescio quam philosophiam struere permulti opinati sunt et adhuc opinantur.

Quibus gravissimis novae philosophiae ac potissimum tertiae perfectae ejus formae initiis absolutis, summum mentis studium denuo in iis quaestionibus versari videmus: quid sint et quae ideae, quam auctoritatem et dignitatem, quamque cum rebus habeant communionem; manifestendum et disserendum omnino est, utrum nostrae mentis ideae eaedem sint, ac divinae et rerum, nec ne? et si vere sint, quam quantamque contineant in mente et rebus realitatem et potestatem; quomodo denique, si sint, ideae singulae inter se cohaereant et ad unam summam absolutamque pertineant. Quibus propositis solutis, idealismum ipsum perfectum et absolutum fore, inter omnes satis constat.

Recentioris seu rationalis aetatis philosophiam vere exorditur *Renatus Cartesius*, de scientia pura seu rationali meritissimus philosophus, vel potius methematico-metaphysicus. Physicae mathesiosque, maxime autem veterum philosophorum de his rebus placitis quum bene institutus, multis autem variisque cognitis perturbatus, scientiae traditae veritatem fere desperaret, dubitatione plane irritatus omnem scientiam a primitiis incipere ac sua ipsius vi proferre studuit.

Initium uniuscujusvis verae scientiae esse placitum illud: *„cogito, ergo sum“*, i. e. in mentis actione *cogitare* et *esse* una sane conjuncta et eadem esse putavit; quod ultra hoc cogitatum sit, Deum esse et infinitum, quod citra illud sit, esse finitum. Itaque cogitandi actio ipsa a Deo efficitur in animo et nonnisi vera esse potest. Quum autem omnis

nostra cognitio inveniatur imperfecta, continens vera commixta falsis, in animo autem exoriatur notio perfectae et absolutae cognitionis et actionis, quae nonnisi Entis infiniti et perfectissimi i. e. Dei esse possit: sequitur, Dei ipsius *idea* cogitatione prior in animo i. e. animae ipsi sit innata, necesse esse. Eadem Dei omnipotentia omnium rerum in animo puras notiones sive ideas exsistere et hanc ob causam veras esse; hoc eodem sensu etiam dixit: „illud omne est verum, quod clare et distincte percipio". Quae omnia decreta quum sint mente percepta, non rationalia vel ratione probata, sed abstracte plane idealia, in modum prioris idealismi formae edita videntur, et ratione non adhibita, omni prorsus veritate carent. Qui autem ratione dissolverit et explicuerit, verissima reperiet. Quum autem omnium philosophiae placitorum explicandorum nobis nec locus nec sit propositum, id modo notatum velimus, ideas ea ratione, qua Cartesius edicit, animo innatas nec esse, nec esse posse, sed quovis momento, ubi cemprehendantur, nascantur et procreantur necesse esse.

Immo vero id nobis in Cartesianis placitis summum videtur; quippe quod, quum ideae mentis actione vel cogitando exsistant, atque divina effecta sint, in his actis ipsis et ideale et reale in uno conciperet et concretas quasi esse ingeniose ac divinitus ediceret. Quo etiam factnm est, ut sibi scilicet inscius sive immediate, ut dicitur, alteram a nobis monstratam idealis et realis in idea ipsa ortam rupturam deleret; atque hoc modo excelsiori, quam ipse erat, philosopho, Spinozae dico, et viam complanavit, et novi operis jecit fundamenta; nec non praebuit aptam edificii materiam.

Omnes enim dicebat, quae vere sunt, substantias semper easdem esse et aeternas; quae autem, quum nihil nisi Deus, idem aeternumque esse possit, Deus ipsae sint necesse est. Recordemur autem, Cartesium sub notione substantiae nihil nisi, quod Graeci *οὐσίαν*, vel *ἰδέας* et *εἴδη* dicebant, intellexisse, atque eodem jure, quo illi, obtineri potuisse, substantias esse divinas et Deum ipsum. Quo etiam factum est, ut Cartesius discrimen faceret inter substantias aeternas sive infinitas vel Deum, et finitas; quas posteriores rursus in cogitantes sive animales, et extensas seu corporeas divisit; extensionem autem, vel quod idem est, materiam per tres dimensiones in corpora transire et praeter extensionem etiam motum habere constituit.

Magnus hic vir quamquam hac rationis perceptione notionis discidium extinxit, tamen illud primum mentis et naturae seu vere idealis et realis discrimen evitare non potuit. Quo etiam apparet, eum minus rationali cursu et explicatione, nec vere rationali actione, quam jam antea Jordanus Bruno sequutus erat, res divinas humanasque comprehendisse, et ita effecisse, ut mundus intelligibilis et sensibilis, inter se diversi et per se constantes et operantes, Dei tantum supernaturali vi ac placa-

tione et contineantur, et constent; — fulcra sane, quorum causa jam veteres Anaxagoran vehementer urgebant.

Quibus relatis cognoscamus, Cartesii idealismum *rationalem* quidem dici posse, verum non perfecte seu *absolute*, sed *abstracte* ratione constitutum; non interna ideae seu sui ipsius vi ac naturae explicatione, sed externa rationis perceptione et mentis dialectica demonstratione comparatum.

Quod Cartesius suo studio et opere philosophico inceperat, *Baruch Benedictus a Spinoza*, philosophus vere divinus atque omnium fortasse excelsissimus, sibi vindicavit, suis auxit et ad perfectiorem altioremque scientiae exegit formam. Nam quum Cartesianae philosophiae non modo studeret, sed clariore etiam et distinctiore ratione demonstrare et explicare eam conaretur: fieri non potuit, quin etiam altius in illius philosophiae omnino partes penetraret, profundiusque easdem perspiceret. Verumtamen etiam ejus scientiae forma eodem, quo Cartesii, primo et medio vertitur et ex eo ad summa et extrema egreditur.

Apud Cartesium hoc grave momentum fuit: „*Cogito ergo sum*", apud Spinozam autem: „*causa sui*". Cartesius suo placito conclusionem ex actione ad id, quod agit, facit; cum autem agere non possit, nisi quod vere i. e. substantialiter vel realiter sit; agens, actionis causa, ipsum est; et quum agens et actio unum idemque sit, agens se ipsum agit, i. e. *causa sui* est; id, quod Spinoza principium ponit.

Haud facile autem quemquam non percipere existimo, Spinozae dictum ex altissimo profundo esse prolatum. Etiam in primis viae passibus uterque diducitur; Cartesius enim egreditur summo suo posito cogitato, a Deo ipso effecto, nec amplius clariusque definiens, quid sit Deus, quae ejus substantia, et quomodo Deus in animo efficiat ideam et sui et rerum. Omnino autem Dei idealem modo in mente posuit naturam, relicta reali. Spinoza autem utramque partem in unum idemque comprehendit et singulis rerum formis s. substantiis in eo solutis et commutatis, hujus unius s. Dei naturam explanandam periclitatur.

Hoc autem primum indefinitum necessaria substantia prima, unica et infinita s. *Deus* vel *Ens* absolute infinitum, immo etiam concretum absolutumque *Ego* dici potest, et idem dici posse videtur, quod Graeciae philosophi „τὸ ἓν ὄν" appellabant, verum non hoc duplice, quem Spinoza posuit, sed simplice vel naturali modo. Quod autem unum est, quum causa sui sit, agit i. e. *exsistere* molitur; quod rursus fieri nequit, nisi quasdam exsistentiae species in se ponit; easque Spinoza haud apto nomine *Attributa* appellat. Species autem haec vel attributa iterum se inter semetipsa ita afficiunt vel modificant, ut quosdam, aliud in alio, *modos* sive *affectiones* efficiant. — Hoc loco commemoratum velimus, haec Spinozae attributa nihil nisi veterum *monades* vel Cartesii *substantias* (οὐσίας), attributa autem *modis affecta* Platonis *ideas* (ἰδέας vel εἴδη) esse

utraque; autem non naturali, sed rationali, ideale et reale conjungente, modo comprehensa. Attributa, dicit Spinoza, duplicem statum quasi tenere, sunt videlicet aut *res cogitans*, aut res *extensa*, i. e., si e veterum recentiorumque sensu loquamur, aut *ideae purae*, aut *ideae reales*, a Spinoza ipso res *ideatae* dictae. Cum cogitatio autem ipsa seu cogitatum attributum Dei sit, sive actum divinae mentis, id actum seu mentis conceptum Spinoza *ideam* nominat; ac revera nostra idea pura est. Deus autem simul sui et suorum attributorum habet ideas, i. e. sui Entis et sub *unius* et *multorum* specie, omnes igitur singulae Dei ideae percipiantur ejus definitiones ac limitationes necesse est, et unum infinitum sub specie finiti entis manifestent. Quo etiam fieri potest, ut singulae ideae quam unius i. e. Dei, tam sui singularumque veram cognitionem ac scientiam jam per se retineant. Quum autem jam radicitus *esse* et *cogitare* unum idemque sint, explicato utroque et in uno semper concreto, eadem necessitate divina ac potentia, ordo et connexio idearum eadem, atque ordo et connexio rerum sit necesse est.

Itaque omnes ideae vel cogitationes — quippe quod unaquaeque idea cognitionem cujuscunque rei involvat — quatenus ad Deum referantur, i. e. puro unius infinitique Dei quasi elemento s. substantia inspiciantur, verae sunt; quippe quod in Deo ideae et res ideatae adaequate conveniant; quatenus autem cognitio ad singula refertur (quas Cartesius ab externis singulisque acceptas ideas vocat) imperfecta et confusa est. Qui autem sibi aeterni et infiniti Entis seu Dei cognitionem comparat et omnia cognita in Deo intuetur, se ipsum et res scit in Deo, et per Deum. Profundissima autem quaeque cognitio adaequata et absoluta rerum simul et Dei est. Itaque in sola Dei cognitione consistit summum bonum humanum, summaque felicitas. —

Eadem fere, quae de Cartesii idealismi forma diximus, de Spinozistica quoque dici potest. Est enim hujus tota philosophia nihil nisi perfectissima et, ut ita dicam, solidissima purissimaque Cartesii. Mireris sane licet, qua infensa atque ignominiosa ratione hujus viri magni ac divini, — cujus philosophiam ipsam excelsam vel omnium, quae sunt, sublimissimam appellem, et quod veterum theogoniae ac praecipue Cabbalistarum, Neoplatonicorum, aliorumque theologiae impure ac turbide manifestant, puro et mathematico-metaphysico modo, opinor, eum demonstrasse et explicasse — hujus viri dignitatem et laudem deminuerint atque obtrectaverint, vel adhuc deminuant et maledicant philosophi, et non philosophi.

Nescio revera, cujus an viri obtrectatorumve in hac dissensione obtrectationeque culpa, an operis operive studentium obscuritas maxima sit. Id autem mihi videor animadvertere, haud multos omnino adhuc et fuisse et esse, qui priusquam judicaverint, perceperint, hanc philosophiam esse purissimum, et abstracte quidem rationalem idealismum ac

prorsus versari solis in notionibus aeternisque ideis; neque, ut ita loquar, etiamsi speciem prae se ferant, terram vitamque attingere communem, ad quam fere omnes eum detrahere conabantur ac student.

Quibus dictis errore sane capti videantur, qui philosopho nostro objiciant, eum sicut Eleaticos suo „ἓν καὶ πᾶν“, Deum cum natura confundisse et, ut illos, *pantheismum*, quem vulgo putant, docuisse; id, quod mihi certe haud videre videar, atque opusculi nostri demonstratione rejiciatur. Spinozae enim systema philosophicum magis sane continet et explicat puram, ut jam monuimus, eamque abstracte demonstratam theologiam sive idealem Dei naturam, quam quod vulgo philosophiam nuncupant.

Ne quis tamen putet, nos Spinozae, plerisque nimirum quidquam spinosae doctrinae luce ita esse obcaecatos, ut plane obsolvamus eam omnibus, ut dicunt, ab erroribus; sequentes potius idealismi species hanc rejecturas opinionem intueamur. Minime vero, ut hoc tantum attingam, hujus sapientis de ideis doctrina studio nostro satisfaciat; quippe quum haud clare fortasse perspexeris, quomodo ideae, mentis divinae et humanae cum rebus ideatis adaequate conveniant, aut e divina natura exsistant, et cum rebus connexae sint. Haec aliaque permulta in ipsa notionum explicatione haerent, et emendare conatus est proximus horum trium virorum nostri idealismi alte longeque celeberrimus et doctissimus omnium.

Godofredus Guilelmus a Leibnitz, qui veterum monumentis nutritus in philosophicis maxime sequutus esse Cartesium et Spinozam, eosque potissimum suis de monadibus placitis emendare voluisse videtur, omnesque una omnino veterum et recentiorum philosophias conjungere. Verum haec tantum de ideis et monadibus ejus placita apponam.

Deus est, secundum ejus sententiam, *monas monadum*, seu *prima*, monas autem non est, nisi substantia simplex, quae incomposita ingreditur. „Deus est substantia aeterne necessaria, et ratio sufficiens totius seriei mundanae, prorsus in unum connexae, absolute perfectus et fons non modo exsistentiarum, verum etiam Essentiarum; cujus productiones sunt omnes monades.“ — „Datur in Deo *potentia*, quae est fons omnium, deinde *cognitio*, quae continet omnium idearum schema, et tandem *voluntas*, quae mutationes efficit s. productionem secundum principium melioris. Divinus intellectus est regio veritatum aeternarum, sive idearum.“ Monades non sunt atomi molis, sed substantiae, nempe unitates reales, quae fontes exsistant actionum, appellarique recte possint *Entelechiae*, itemque formae substantiales vi activa perceptionis et appetitionis praeditae, sintque τὰ πρῶτα δεκτικὰ τῆς ζωῆς.“ Materia autem nihil est nisi infiniti monadum numeri aggregatum. Dei qualitates in unaquaque monade sunt, sed limitatae pro gradu et mensura perfectionis. Actualia omnia dependent a Deo, tum exsistendo, tum agendo, nec tan-

tum ab intellectu ejus, sed etiam a voluntate; idea enim cujuscunque rei medium est, quo, Deo efficiente, monades in se ipsas influunt atque sese excitant. Corpus exsistit ex unione cum entelechia, vel anima, et ejus ope, cujuscunque rei sit, quaeque sibi universum quasi speculo repraesentat; ceterum corpus et anima, immo animal ipsum ante conceptionem jam prae exstiterit necesse est, propterea quod nec generatio, nec mors perfecta; anima enim involucra organica vetera relinquit, nova capit et ipsa indestructibilis altiorem perfectionem petit. Quo sequitur, corpus et animam, utrumque per se et constare et agere. Omnes ratione praeditae animae seu spiritus unionem cum Deo habent ita, ut easdem aeternas veritates sequantur; quo quidem exsistit status Dei vel regnum gratiae et mundus moralis, contrarius naturae ordini. Summum denique bonum humanum seu beatitudo animae consistit in unione cum Deo, haud ideo virtute actionibusque despretis.

Quibus relatis satis compertum cognitumque habeamus Leibnitii doctrinam ejusdem, ac Cartesii et Spinozae, esse naturae et idealismi; qui unam alteramve priorum pantheismum vocandam putet, hanc eodem nomine is nuncupet necesse esse. Est enim haec emendatior tantum distinctiorque et definitior ejus explicatio, quod Cartesius *substantia simplex*, Spinoza autem *Dei attributa* appellat*); quamquam ipse monadum auctor putabat, iisdem Spinozae substantiam et simplicem quasi divisisse et limitibus definivisse; id, quod Spinozam jam ipsum discrevisse, ut ex antecedentibus facile est perspectu, inter omnes constat.

Verumtamen Leibnitius hanc maxime sibi laudem videtur apud posteros comparasse, doctrinam, quae versatur, ut ipse dicebat, in regione idearum, sicuti nullus duorum priorum, qui ei viam aperierant, immo vel nemo veterum, clare, distincte et ample explorasse et enucleasse. Et quamquam non minus purae theologiae nomen ei est imponendum, tamen postponendum videtur Spinozisticae, si spectemus concinne et praecise, consequenter et pure exploratam rerum notionumque rationem. Neque minus sibi laudem eo ascivit, quod monadis natura id, quod reale et ideale dicunt, in unum comprehendere statuerit, verum haud naturali vel sensibili modo, sed intelligibili vel ideali.

Si quis autem forte quaerat, qua ratione notionis ideale et reale momentum — in quo discreto haeserant Scholastici, — sive idea, aeternave, ut dicebat, veritas, etiam actum Dei intellectus, rebus ipsis innatum, qua ratione, dico, in unum concreta, vel quo Dei effectu orta sint,

---

*) cfr. Leibnitii epistol. in *M. G. Hanschii* diatrib. de Enthusiasmo Platonico: „Objectum sapientiae esse τὰ ὄντως ὄντα, substantias nempe simplices, quae a me *monades* appellantur et semel existentes semper perstant, πρῶτα δεκτικὰ τῆς ζωῆς i. e. Deum et animas, et harum potissimum mentes, producta a Deo simulacra divinitatis." —

id nec Leibnitius, neque alius quisquam satis demonstraverit, nec demonstret. Quam eandem obscuritatem involvit haec Leibnitii sententia, monades natas et a Deo progenitas esse et nasci per continuas divinitatis fulgorationes. Quis, obtestor, est, qui hunc nodum solvat?

In altissimo ergo intelligibili fundo idealis et realis hiatum apertum conspicimus, et concretio ipsa superficialis apparet sub monadis specie. Nihil sane neque Leibnitius, nec ceteri duo viri praestantissimi clare disserunt de constantia idearum et generibus sive notionibus universalium substantiarum et monadum, sine quibus nulla res nec constare nec perdurare potest, quin etiam Leibnitii placita fere contrariam sententiam arguere videntur. Haec et multa alia desiderantur atque esse nobis solvenda relicta existimamus.

Quodsi etiam ita est, neminem credo fortasse negaturum esse, nos horum triumvirorum sane philosophiae heroum studiis atque operibus nihil quidquam non profectos esse ad illius aeternitatis vel veritatis fontem. Conferas, quaeso, hunc idealismi statum cum illo priorum aetatum, et te experientia docebit. De nonnullis aliis idque vulgo pleno ore prolatis idealismi nostri formis, prioribus maxime cognatis nonnihil pronunciare adhuc superest.

Cartesianae haud dissimilem quandam idealismi speciem instituit *Nicolas Malebranche,* sacerdos et inter Gallos magnopere laudatus philosophus. Nam Cartesii doctrina bene institutus, eam ipse ad unam sane partem promovit.

Deum dicit esse omnium, quae sint, perfectionem — id, quod commemoratu vere dignum videtur; — et per Deum constare et esse animas creatas, omnesque spiritus; esse igitur *instar loci spirituum,* et ejus substantiam eorum esse intelligibilem mundum, in quo sint, vivant et videant. Omnes res, quae modificationes infiniti (spatii sc.) sint, per ideas in Deo esse. Ideam autem esse objectum immediatum mentis, ipsi proximum, dum aliquid percipiat, non compositam, nec abstractam. Objectum (generale) omnium Idearum esse *Extensionem τοῦ infiniti* (unendlicher Raum — reine Ausdehnung), intelligibilem immutabilem et incommensurabilem, ex cujus intuitu formemus, quidquid adspiciamus sive intra, sive extra nos; esse igitur hanc intuitionem in Deo ipso; unione autem cum Deo et intuitionis luce omnem veritatem nobis aperiri.

Sufficiant haec pauca ad dijudicandum Malebranci idealismum, interdum *mysticum* appellatum, et recte fortasse; siquidem omnia, quae ratione quidem percepta sint, tamen notionum idearumque finibus, explicatione et distinctione egent, sane sunt mystica i. e. obscura, invalida ac fluxa dici, et nec sensibus nec mente percipi possunt. Hac ipsa quoque causa Malebranci idealismus non ultra modo Cartesianum non egressus, sed potius regressus est ad idealismum, quem supernaturalem diximus; et fortasse suo ipsius nomine *intelligibilis* vel *intuitivus* appellan-

dus est; propterea quod omnia argumenta vel placita in inspiciendis objectis, quae ideas vocat i. e. unitates, quibus immediate reale et ideale continentur, Deo adstante, ratione percepta ac posita sunt. De mentis actionibus actisque, quae sunt notiones vel comprehensa, fere nihil quaeritur. Tota igitur haec doctrina pertinet ad immediatam scientiam (unmittelbares Wissen) et pronunciationem, nec non fidem rerum divinarum, ita ut aegre de earum idealitate, quae vere sit, disputari et inquiri possit; quamquam, quod negari non potest, in his decretis nonnulla clarius, amplius, profundiusque edita haud exigui momenti videantur vero philosopho.

Minoris vel minimi nobis videtur momenti is, quem dicunt ab Anglico *Georgio Bercley* idealismum institutum esse, quo tamen jure, non percipio. Is enim stultum absurdumque dicit, credere, res objectivas seu nobis externas esse easdem, quae nobis videantur; esse autem revera nihil nisi nostra de his rebus visa, sensa ac percepta; quod clare appareret e dissidio metaphysicorum de substantia, materia aliisque rebus; deinde ex eo, quod nullum medium seu nullam relationem activam inter res ipsas cognoscamus, et res ipsae denique e visionibus nostris dependexant; omnes autem perceptiones et visiones non nostras esse, sed Dei vel infiniti, omnipotentis supremi spiritus; Deum ergo esse omnis cognitionis causam ac necessitatem; quo sequitur, res, quae et quid per se sint, haud cognossi posse, nisi Deo interveniente, et nihil esse, nisi percepta et visa.

Haec Bercleji doctrina ipsa nihil sane nisi negatio empirismi est, sive opinionum eorum qui e sensibilibus rebus accipiendas esse veritates et cognitiones vulgo rentur. Verumtamen factum est, ut nulla facile alia magis, quam illas adjuverit communis vitae opiniones eamque cognoscendi rationem, quam *Lockius* probavit et *Humius* ad majorem firmitatem et constantiam tollere studuit. De ideis notionibusque, quid sint, in hac doctrina jam nihil aut obiter quaeritur et plane quaerendi locus relictus est; sunt sane visiones opinionesque, quas nec Deus neque homo, nec coelum nec terra affirmare possunt. Est igitur haec philosophia et hic idealismus ea sciendi ratio et status, quo credunt, omnia, quae sint, aut nihil esse posse et constare, aut certe aliud quid, quam nos putemus i. e. incertum, fluxum. Qua de causa, omnibus in rebus dubitationibus prorsus relictis et scepticismo ipso superato, unum omnibusque in rebus est perfugium Deus, fides, religio. Deus autem nec substantia est Cartesii et Spinozae, nec Leibnitii monas monadum, nec veterum nostrumque idea aut summum bonum. Nescio igitur, num haec sentiendi sciendique ratio quum philosophiae tum idealismi nomen vere trahere et retinere possit, minime certe *empirici*, quod quidam velint probare. Quod denique in hac doctrina inveniatur veri atque aeterni, praeclare Kantius noster demonstravit et Fichtius praeclarius illustravit.

Rei ipsius nostrae gravitas nos videtur adhortari, ut reputemus in animo, quantum jam progressa sit nostri idealismi forma. Cartesius quidem exorsus est nostrae rationalis formae cursum; nec tamen absolvit, quam abstracte rationalem nactus est. Ad summam autem soliditatem, claritatem et puritatem eam promovit Spinoza; Leibnitius denique minore quidem concretione ac scientiae consequentia totum provexit; verumtamen eam potissimum partem, in qua idealismus versari videtur, mirifica quadam arte et acie enucleavit et ad summum, quantum fieri fortasse eo tempore posset, perfectionis fastigium extulit. Post hos tantosque viros non modo haec pura idealismi forma decidit et corrupta est, sed etiam omnes concretae rationales notiones et ideae sub mentis potestate, quam mens *Wolfii*, aliorumque, qui ejus sequuti sunt vestigia, studiis nacta est, materia quasi rationali sive ideali ita privatae sunt, ut nihil postremo relinqueretur, nisi vacuae mentis abstractaeque formae, quae, ut fieri necesse erat, omnem amitterent dignitatem atque auctoritatem. Itaque haud mireris, si post hanc idealismi ruinam illo tempore et vel nostro conspicias philosophos aut plane despicientes et negligentes, aut parvi habentes notionum et idearum naturam et explicationem, dum et doctrina et scriptis sanam, nescio quam, mentis vel rationis naturam assequi dictitant et gloriantur. Quam mentis infirmitatem atque hebitudinem oportebat acutissimum quendam ita demonstrare, ut non solum verae philosophiae dignitas redintegraretur, verum ejus etiam stndio atque opere novi, ejusque absolute rationalis idealismi cursus aperiretur.

Hic vir magnus et ingeniosus fuit *Immanuelus Kant*. Quam aut quas illarum, quas supra commemoravimus quaestiones, noster absolvit et absolvere molitus sit, sequentia docebunt.

Celeberrimus hic vir, postquam mentis, ut diximus, infirmitatem ac lapsum animadverterat, sibi proposuit, ejus idealitatis vim et potestatem i. e. ejus cognoscendi cogitandique actionem, qua res e naturali in idealem vel subjectivum statum transformantur, exquirere et dijudicare. Quibus propositis tribus praecipue in operibus absolutis, factum est, ut in *primo*, quo examinatur mentis in rebus cogitandis vis atque auctoritas, constantes quasdam per se quidem inanes intuendi cogitandique formas et regulas inveniret et constitueret. Idearum autem, quae quidem sint et esse debent, formandarum vim plane menti abnegavit, et quamvis ratio idearum parens existimetur, tamen sub mentis ditione nihil plane valere demonstravit. Notiones igitur et quae vere dicendae sunt ideae, Kantius aut prorsus reliquit, aut formalem modo partem, neque realem s. totum omnino concretum statum satis inquisivit.

In *altero* deinde opere, quas in antecedente menti plane abnegaverat, nonnullas rationis ideas ut fundamentum postulavit, quasi necessarias ad constituendum mundum intelligibilem vel spiritualem. Omnino

autem dici potest, in opere antecedenti abstracte formalem modo ideae partem examinatam esse; quo fieret necesse erat, ut ipsa dissolveretur; in hoc altero vero idea ipsa concreta manifestata est, ita tamen, ut quae singula et subjectiva et objectiva in vita comprehendantur, non idea, sed mentis forma continerentur, ideae igitur nulla nisi promovendi et regendi vis relinqueretur.

In *tertio* denique, quo maxime de artis naturaeque dijudicandis finibus agitur, idea, ut vere est, in absoluto statu descripta est; id quod hujus operis summum est habendum; sed tamen, demonstratis ejus singulis partibus, subjectivae, eique formali mentis potestati subjecta est, ita ut ideae omni plane constantia et dignitate, quam in arte, tam in natura priventur. Quibus factis judicemus liceat, Kantium nostrum, ut ex ipsius in operibus plane apparet relatis, ideae verum sensum atque indolem haud percepisse et intellexisse, eumque potius formali temporis sui metaphysico cogitandi ac ratiocinandi modo et arte captum fuisse.

Totum autem et sane magnum ejus meritum, quod a posteris haud facile majoris existimetur, et quo aeternam sibi laudem paravit, non in eo est ponendum, quod ipse affirmaverit et invenerit, sed quod negaverit, quod deinde eo ipso negando, leviter obiterque, nec raro sibi quidem inscius, ejus quod verum est, tangendo et eloquendo viam aperuerit ad veritatem sempiternam, et denique spiritum ex infirmitate elatum summis maximisque appulerit operibus.

Sed sunt etiam summa verae philosophiae decreta aut praesumta et praeposita, aut jacent in demonstratis rebus celata, aut aperte edita. Cujusmodi nonulla tantum referamus.

Kantius in quaestionibus suis, ut ipse explicat suo opere „Kritik der reinen Vernunft," proficiscitur ab unitate omnium rerum i. e. ab eo, quod res, universo comprehensae et ad unum totum conjunctae inter se conveniant et cohaereant, quod ipsius verbis *„synthetische Einheit der ursprünglichen Apperception"* maxime et clarissime eloquitur. Haec autem unitas, assumta etiam convenientia naturae (*„der Dinge an sich"*), est sane nihil aliud, atque una illa indiscreta et indefinita substantia, e qua Kantium revera egredi oportebat. Nam hac demum discreta et soluta perveniri potest ad inspiciendum unum infinitum et purum spatium, ad res multas et singulas disjectas et ad vim denique, quae puri temporis speciem fert, eas conjungentem et moventem. Haec revera sunt quaestionibus illius subjungenda.

In eodem fere universali nec Cartesii et Spinozae dissimili sensu etiam Kantii subjectiva rerum percipiendarum et conjungendarum vis (*„synthetische Einheit des Ich"*) non modo in homine, verum in tota natura exquirenda est, et ab ea proficiscendum. Immo vero iis a Kantio ipso de artis naturaeque finibus institutis quaestionibus necessario ad eam capiendam impellitur viam. Hoc omnino loci puncto vere versatur ideae et idealitatis principium; hic est fundamentum, ex quo nascitur nau-

rae et spiritus libertas ac vitae finis datur; hic oritur mundus intelligibilis et monstratur Dei exsistentia et praesentia.

Haec et alia multa sane jacent quasi disjecta totius membra in Kantii philosophia, sed sunt dissolvenda et enucleanda ex subjectivis mentis disputationibus et demonstrationibus. Quum autem ipse auctor haec problemata homini haud solvenda et explicanda esse opinaretur, neque transgrediendos conclusione eos fines, quos mera mens proposuerit notionibus puris definiendis, (quos tamen ipse primus transgressus est), factum videmus, ut suam ipsius philosophiam *transcendentalem* seu *criticum idealismum* nominaret. Et potest sane idealismus appellari, propterea quod idea sua vi, i. e. mente, cogitandis definiendisque rebus viam ex abstracta ad veram ipsius et absolutam formam planat munitque; quin etiam Kantii idealismus hujus absolutae naturae semina continet et sane haud parce spargit. Ceterum etiam notandum videtur, quum auctor criticis suis operibus fines, quos ipse posuit, transgressus sit, idealismum ejus, eodem ipso pure et abstracte rationali forma fracta, *Jani* instar, una facie respicere, dum prospicit altera.

Socratis doctrinae haud dissimili modo etiam ea nostri sapientis effecit inter ejus discipulos sectatoresque nonnullas partes, easque maxime *tres*; quarum quidem *una* ut auctor hujus philosophandi rationis, potissimum illam philosophiae partem sibi vindicavit, quam practicam vulgo nominant, et ejus praecipue *ethicam*, theoretica aut vix obiter tractata, aut ut absoluta plane neglecta et negata. Huic coetui angustiori sensu illi adnumerandi sunt, qui *Kantiani* dicuntur, et magistri doctrinam aut retinent, aut aegre commutant, et celeberrimi viri *Jacobi* sapientiam cum Kantii philosophia conjungere student; nec non *theologi* haud pauci et ii potissimum, qui *Rationalismi* sectatores appellantur. Idealismi formam, ut plane dicam, nullo modo omnes et promovere et explicatione commutare obtinemus. In *altera* autem parte invenimus maxime celebratum virum ac vere philosophum *Fichtium*, qui omnino illam Kantii, sui magistri, philosophiae partem sibi sumsit, quae *logicam* continet et *dialecticam*. *Tertiam* denique arreptam videmus a *Schellingio*, summam laudem tenente inter omnes vere philosophos, qui praecipue, et adhuc fere unice *philosophiae naturae* sua studia ac vires consecrasse videtur. — De duobus posteris nunc nobis est accuratius disserendum.

Joannes Gottlieb Fichte in doctrina sua ex eodem, quo Kantius, profectus est, loco. Praesumendum hic quoque est illud incognitum et indefinitum unum, cujus pars relativa homo est ipse, et quo fieri potest, ut illud purum et absolutum *Ego* (Ich) sive *subjectum* nec non *pura scientia*, impulsu externo afficiatur. Hoc purum Ego ipsum Fichtius ponit principium, continens omnem et *idealitatem* i. e. absolutam et definitam spiritus agendi vim, et *realitatem* i. e. cogitata vel cogitandi acta. Jam Kantius illa mentis universalia comprehensa *realia* sive ob-

jectiva nominaverat; Fichtius autem, eum sequens, non modo haec, sed rerum omnino singula et peculiaria cogitata hoc nomine appellat, ita ut non *res* vel *visum* (Sache), sed *cogitatum* (Ding, Gedanke) vere sit reale.

Kantii philosophia deinde in se recludit duplicem quendam *dualismum*; unum *mentis* et *naturae*, alterum *realem* s. materiae, et *formalem* s. formae in ideae notione ipsa. Hunc postremum Fichtius ingeniose delere conatus est, et feliciter delevit. Veteres physici vel naturae philosophi comprehenderunt cogitatum (Ding) in re ipsa (Sache); Plato maxime in verbo (λόγῳ, Worte); Aristoteles rem et cogitatum unum idemque duxit et nullum plane discrimen fecit; Kantius universalia rerum in subjectum traduxit, eique soli vindicavit; Fichtius rem ipsam totam in animo nascentem facit i. e. rem et cogitatum unum idemque in animo ponit; verumtamen non res, quae naturalis seu materialis est, sed ideali s. spirituali modo comprehensa oratione in animam translata. Haec cogitata res (Ding) non modo scientiam efficit i. e. spiritus eam intuetur, verum et speciem fert, quasi id cogitatum non ideale in animo sit, sed res externa, visa; atque hoc modo illusio mentis exsistit, quasi res ipsa, quae realiter sit, in animo pariatur. Quod autem cogitandi vi atque actione efficitur, revera est *idea*, a *ratione*, ut Fichtius ipse recte constituit, comprehendendo *exacta*, et a *mente firmata*. Ratio enim naturalem rei materiem in spiritualem transfert et mentis formandi vi efficit unam quandam unitatem. Praeclare etiam Fichtius rem ita demonstrat, ut idea sit *definitio indefiniti et absoluti Ego*; atque id unum Ego, concipiens se ipsum ac definiens infinitam suam et asolutam naturam discernere nitatur in definitum, et relatione dialectica inter cogitatum et cogitans, sive inter absolutum et definitum Ego exorta, limitatum se praestet et quasi ex se uno multum, quod sit ipsum, procreet. Atqui id ipsum Fichtii doctrinae mirifice magnum est judicandum et semper verum, etsi auctor, quod haud abnegare velim, non ita prorsus, ut ipse nititur, et nos modo demonstravimus, se ipsum conceperit et nescio, an ab aequalibus jam ita sit perceptus et dijudicatus. Connectit sane ideae principium cum fine s. actu resultanti, et ita efficit absolutam vel ideam idearum, unicam ipsam omnia sua singula *ratione procreantem*, *mente continentem* et ut *judice interno explicantem* ac *temperantem*. Qua ex causa etiam ejus doctrina, in qua ad hanc partem prorsus perfectam Kantianam conspicimus, vere vocandus est *idealismus*, isque *pure rationalis*, nondum quidem absolutus; et quod pura ratio nihil nisi *spiritus* ipse quodammodo *definitus* est, hanc Fichtiani idealismi formam recte *spiritualismum* appellaveris. Notandum ceterum velimus, in hoc Fichtii spiritualismo Pythagoraeorum et Platonicorum ideas et praeclare Leibnitii monades alia tamen ratione, eaque praestantiori et, ut ita dicam, *purissima spiritualitate* (Geistigkeit) emanatas, iis *purae naturalitatis* (Natürlichkeit) plane contrarias conspici posse.

Fridericum Guilelmum Josephum Schelling optaveri, quae prio-

ribus philosophiae formis desiderantur, nobis plane absoluta praestaret; eum, qui primum quidem divino quodam impulsu ac furore Kantii et Fichtii vestigia sequens, mox autem haec desiderata ipse acute sentiens se avertit a logicis ac dialecticis sive ab idea in puro spirituali statu et advertit ad naturae philosophiam vel ad investigandam ideam in naturali forma, quam Fichtius sane reliquerat, et tempus ipsum postulare et ad antecipandum provocare videbatur.

Quibus naturalibus et naturalis philosophiae studiis eam sibi apud aequales posterosque summam laudem paravit, quod non solum ipse docuit, quo natura rationali modo inspicienda sit et perscrutanda, sed ratione ipsa naturam cum mente divina conjunctam unum idemque absolutum constituit, quippe quod duplice solum, naturali quidem et spirituali, seu reali et ideali ratione se ipsum nonnisi unum idemque explicet. Hoc unum absolutum, ab eo *absoluta Idenditas* s. *Indifferentia* appellata — haud aptissimae philosophiae voces! — est autem *summa idea*, non a natura *abstracta* sane et pura, ut Fichtii, verum *concreta* vel, ut ipse appellat, Spinozam maxime sequens, *divina natura naturans.* Explicationem autem hujus unius ideae imperfectam ac potissimum abstractis aliunde desumptis formulis institutam judicaveri; et quomodo idea sui ipsius cognitione se ipsum discernat et universum procreet, e demonstratis ipsis vix clare ac distincte perspiciatur. Omnino autem ejus de idea et idealismo notio quam adhuc aequalibus mandavit, manca videtur, quod primum maxime ex ejus de arte placitis, iisque fere Platonicis, omnino autem e scriptis suis ipsis perspiciatur. Quo etiam factum est, ut unius ideae sive Absoluti explicationem nec rationali modo institutam, vel se ipsam exponentem, nec singulas ideas ex uno nec natas nec nascentes et una continua serie ordineque aut promanantes videamus.

Omnibus his haud negatis, tamen concedatur et affirmetur fas est et oportet, Schellingium summas philosophiae quaestiones tetigisse, neque ipsum tetigisse tantum, verum alios etiam impulisse et omnes omnino scientias ac notiones promovisse aliosque ad promovendos suscitasse. Neque minus idealismum quoque, etsi ad absolutam et perfectam formam ipse non attulerit, tamen viam, corripiendo ideale et reale in unum idque absolutum, ad ejus perfectionem aperuisse et stravisse. Perfectio autem ipsa et absolutio sane relicta est viro, nostri temporis summo maximoque philosopho:

Georgio Guilelmo Frederico Hegel, qui non modo tres illas Kantianas partes, sed etiam physicorum veterum simplicitatem, Platonis artem dialecticam et amplitudinem, Aristotelis notionum concretionem et distinctionem, Spinozae excelsitatem et denique Leibnitii et Fichtii spiritualitatem, nec non Schellingii naturae cognitionem; — omnes sane in se uno colligit conjungitque.

Idea ejus studio gravissimo ac profundissimo nunc demum se ipsam vere cognoscit, percipit, explicat et cognoscendam, percipiendam et

explicandam incitat ac promovet. Non una est modo, sed sua ipsius vi atque expositione etiam multum et multa. Explicatio autem ipsa mirifica quadam ratione atque arte ad triadis, quae ideae ipsius est natura, speciem instituta est, atque non in puro solum ideae elemento, quod logicam et metaphysicam dicunt, verum etiam concreto vel in natura et vita, quibus utrisque continetur naturae et spiritus philosophia, demonstrata atque inducta.

Hoc vere rationali modo ex una et absoluta idea singulae unius vi ac potestate enascuntur et aeque cum uno, atque inter se cohaerentes se ipsas affirmant et negant. Quo autem facto notionis forma seu ideae anima constant et suam quaeque secundum ipsius naturam, quam consequi potest, perfectionem petit et libertatem, quae non nisi notionis s. spirituali ratione et cum ceteris universi ideis et unione et communione esse potest. Id unum absolutum igitur appellari licet non solum ideam idearum (Wesen der Wesen), et rem rerum vel visa visorum (Sache der Sachen), sed et notionem notionum (Ding der Dinge vel Gedanke der Gedanken); haec tria denique idem unum efficiunt, quod ut primum et principium est, ita extremum et finis sit, et hoc ipso cursu se ad se ipsum revertens, Deique naturam vi rationis explicans unum totum constituat necesse est. —

Cui levis haec nostri opusculi adumbratio, ad quam hujus viri spiritum, quod agnoscatur fas est, prae ceteris nos impulisse libenter concedamus, non sufficiat, quique ampliorem hujus doctrinae expositionem desideret: eum ad philosophi nostri ipsius opera et doctrinam, ut illa et conferat et in suum commutet, adhortemur.

Hoc praeclaro modo Hegelius illud discrimen et spatium, quod exoriebatur inter principium et finem in Fichtii pure rationali idealismo, inter Fichtium et Schellingium, seu, sit venia verbis, inter mentem et naturam, vere ita extinxit, ut principium ratione duce vel arte dialectiea per naturales species viam ad finem, quod principium est, reduceretur.

In idea enim *naturalismus* et *spiritualismus* — extrema sane idealitatis, — *realismus* et *idealismus*, quorum unum cum *morte*, alterum cum *vita*, si unum ab altero abstraxeris, comparari licet, ita conjunguntur, ut altera parte constantem, altera autem non constantem speciem prae se ferant; sed quae et quantae sint species et formae, omnino omnes necessariae videntur et unitae et singulae ad constituendam primam, quam noster docet, et summam quidem idealismi formam.

Cui quod nomen imponemus, interrogas? Nescio, quid vis! utrum realismi, an idealismi, aut aliud quoddam? — *Omnia*, dico, haec ei imponas, si libet et necesse videtur, aut *nullum*. Sed si quoddam videatur, nomines, quaeso, eum *Idealismum*, et si distinctius, *ratione perfectam* s. *rationalem*. —